[illegible]

DE

M. TERENTII VARRONIS

DISCIPLINARVM LIBRIS

COMMENTARIVS

FRIDERICI RITSCHELII.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

FRIDERICVS RITSCHELIVS

INCLVTAE LITTERARVM ACADEMIAE BORVSSICAE SOCIIS CLASSI HISTORICAE ET PHILOLOGICAE ASCRIPTIS

S.

Quod ad Vos, viri gravissimi, hanc quam subieci opellam misi, id postquam licere mihi VESTRA auctoritas iussit, cum opportune facere tum debere et VESTRAE gratiae et meo officio visus sum. Nam cum nuper amplissimae societati VESTRAE me esse epistularum commercio iunctum voluissetis, et si quid haberem quo augeri optimae litterae viderentur, id ut VOBISCUM communicarem auctores mihi exstitissetis: quid magis esse consentaneum potuit quam et Vos exspectare tam honorifico iudicio ut saltem voluntatis prompta significatione non indignum me praestarem, et me grati pro tam luculenta benevolentia animi testificandi impatienter occasionem captare? Igitur aequi bonique quaeso consulite quod VOBIS, viri praestantissimi, levidense munusculum obtuli: quod si nulla alia virtute commendabitur, haud scio an aliquam a VOBIS gratiam ipsa sit

argumenti opportunitate initurum: quando non iniucundum fuerit tanquam incunabula earum artium respicere, quae iam adultae cum tanta litteratae Europae laude VESTRA praeclara opera liberalique cura illustrantur, coniunctis autem VESTRIS illustriumque collegarum VESTRORVM academicorum consiliis etiam consociationem illam tuentur ipsius antiquitatis exemplo nobilitatam, qua velut unius membra corporis pridem copulari sunt solitae. Valete. Scribebam BONNAE vj. KAL. QVINTIL. A. CIↃIↃCCCXXXXV.

CAPVT I.

§. 1.

Eruditionem prope omnem et ad humanitatem informationem nemo nescit iis saeculis, quae consuevimus medii aevi nomine comprehendere, septem liberalium artium orbe coarctatam esse. De quibus potissima testimonia haec sunt, quae infra posuimus quod eorum certum volumus in disputatione nostra usum esse. Exordimur ab Isidoro Orig. I, c. 2: *Disciplinae liberalium artium septem sunt. prima grammatica i. e. loquendi peritia. secunda rhetorica. . . tertia dialectica cognomento logica . . . quarta arithmetica quae continet numerorum caussas et divisiones. quinta musica quae in carminibus cantibusque consistit. sexta geometrica quae mensuras dimensionesque complectitur. septima astronomia quae continet legem astrorum.* Ab Isidoro aliqua ex parte discrepat uno circiter saeculo maior Cassiodorus eo libro quem *de artibus et disciplinis liberalium litterarum* scripsit; sic enim ille vol. II, p. 528 b ed. Garett. in praefatione: *dicendumque prius est de arte grammatica, quae est videlicet origo et fundamentum liberalium litterarum . . . . . secundo de arte rhetorica . . . tertio de logica quae dialectica nuncupatur . . . quarto de mathematica quae quattuor complectitur disciplinas, id est arithmeticam, geometricam, musicam et astronomicam.* Eandem autem

hanc quadripartitam descriptionem nec Isidorus ignorat, immo sequitur in libro III, ubi ad ipsam explicationem disciplinarum mathematicarum accedit: *mathematica . . . cuius species sunt quattuor, id est arithmetica, musica, geometrica, astronomia:* quocum congruit ipsis Originum libris praemissa ad Braulionem episcopum epistola VI. Nisi quod priore loco illo in quibusdam libris inverso ordine ante *musicam geometrica* et commemoratur et tractatur, prorsus id quidem Cassiodori exemplo. Vulgarem tamen ordinem servat etiam Boethius initio librorum de arithmetica. — Rursum autem paullo ante Cassiodorum in novem Marciani Capellae libris easdem artes hoc ordine pertractatas reperimus a lib. III ad IX: *grammaticam, dialecticam, rhetoricam, geometriam, arithmeticam, astronomiam, musicam.* Postremo commemorandus utroque prior Augustinus, his ille verbis de suis studiis exponens Retractat. I, c. 6: *Per idem tempus quo Mediolani fui baptismum* (a. 387) *percepturus, etiam disciplinarum libros conatus sum scribere . . . . per corporalia cupiens ad incorporalia quibusdam quasi passibus certis vel pervenire vel ducere. sed earum solum de grammatica librum absolvere potui, quem postea de armario nostro perdidi, et de musica sex volumina: . . . . inchoaveram quippe tantummodo istam apud Mediolanum disciplinam. de aliis vero quinque disciplinis illic similiter inchoatis, de dialectica, de rhetorica, de geometrica, de arithmetica, de philosophia, sola principia remanserunt, quae tamen etiam ipsa perdidimus: sed haberi ab aliquibus existimo.* Vides astronomiae loco prodire philosophiam: sive id Augustinus fecit arbitratu suo eique consilio convenienter quo *ad incorporalia pervenire per corporalia* vellet, sive illius aetate nondum omnino invaluerat certis finibus circumscriptae ἐγκυκλίου παιδείας consuetudo. Idque ita esse magis etiam apparere ex eiusdem Augustini lib. II de ordine cap. 35 sqq. videtur, ubi *disciplinarum* (vel *studiorum liberaliorum et disciplinarum* c. 38) omnium inventricem et rectricem esse rationem demonstraturus proficiscitur a *grammatica*, cui disciplinae accedere *historiam* (c. 37), pergit deinde

ad *dialecticam* et *rhetoricam*, his iungit *musicam* simul orationis versuumque *numeros* complexam, desinit in *geometrica* et *astrologia*: in eis autem disciplinis omnibus regnare *numeros* dicit.

§. 2.

1. Vltra autem Augustini tempora nemo quod sciamus progressus est anquirendo, si forte vestigia indagari possent artium illarum liberalium communi societatis vinculo iam vetustioribus saeculis coniunctarum. Nam Quintilianum constat sane institutionis oratoriae lib. I, c. 10 strictim persequi *orbem illum doctrinae*, *quam Graeci ἐγκύκλιον παιδείαν vocant*, idque ita instituere ut *grammaticam*, quae complectitur etiam *enarrationem historiarum* (I, 9, 18), excipiat *musice* et *geometria*, haec autem primum *divisa* esse *in numeros et formas* (I, 10, 35), paullo autem post (§. 46) *se tollere ad rationem usque mundi* dicatur: quorum apparet hanc vim esse, ut unius disciplinae et nomine et ambitu comprehendantur arithmetica, geometria et astronomia (sive ut ipse ait II, 18, 1, *astrologia*): quemadmodum etiam Cassiodorus Variar. III, 52 de *geometria* loquitur *quae tantum de caelestibus disputet*. Sed tamen his fatendum est et dialecticam praetermissam esse (nam in rhetorica quidem explicanda totus est scriptor), nec vel singillatim discretas vel certo numero definitas reliquas. Idemque in Graecorum eos philosophos cadit, qui de artibus liberalibus, utiles an inutiles essent et a philosophia segregandae, magna saepe cum contentione quaesierunt: e quorum disputationibus quaenam cognoscantur *ἐγκύκλια μαθήματα* vel *παιδεύματα*, hic exponere longum est: neque enim id agimus ut litterarum apud veteres historiam pertexamus, et satis in hoc genere Wowerius, Vossius, Meinersius, alii elaborarunt. E Romanis autem hominibus aliquanto diligentius, quam Quintilianus, singulas attigit Seneca epistola 88, qua de *liberalibus studiis* disserens (unde factum, ut in quibusdam codd. et seorsum collocata et *de septem liberalibus artibus* inscripta sit)

grammaticam, *geometriam*, *musicam*, *arithmeticam* et eam artem perstringit quae *caelestium notitia* continetur. Vides et plene et distincte (promiscuo enim disputandi ordine in singulis percensendis utitur) ne hunc quidem liberales disciplinas, quales insecutis saeculis communi consensu tractari solitae sunt, descripsisse in certumque orbem coegisse. Et tamen id ipsum magno ante Quintilianum Senecamque intervallo pridem factum erat longe luculentissimo eius viri exemplo, cuius praeclara industria et prorsus incomparabilis eruditio nihil vel humanarum vel divinarum rerum non attigit, immo ingenii sui lumine non collustravit: M. Terentii Varronis. Cuius rei memoriam temporum iniquitate haud paullum obscuratam, hodie autem propemodum intermortuam, eo nunc studiosius operam dabimus ut quantum fieri possit redintegremus, quo persuasius habemus eis, quorum supra testimonia composuimus, scriptoribus ipsum Varronem non exigua ex parte auctorem et exemplum exstitisse suarum de liberalibus artibus disputationum.

2. Praestitit autem illud M. Varro editis novem disciplinarum libris, quorum ne coniectura quidem a quoquam significari argumentum meminimus. De quibus communi testimonio Cassiodorus c. 3 p. 536 b et Isidorus II, c. 23 sic: *Dialecticam et rhetoricam Varro in novem disciplinarum libris tali similitudine definivit: dialectica et rhetorica est quod in manu hominis pugnus astrictus et palma distensa: illa verba contrahens, ista distendens.* Ipsum autem libri indicem ne quis ita interpretetur, ut item septenario numero definitas disciplinas Varronem putet novem libris explicasse, quorum uno potuerit *communiter de omnibus loqui,* quemadmodum fecit praemisso antiquitatibus rerum humanarum libro teste Augustino de civ. dei VI, 3: statim subiicimus Vitruvii verba, e quibus certissime intelligitur singulas singulis libris disciplinas distributas esse, lib. VII praef. 14: *Fufidius enim mirum de his rebus primus instituit edere volumen: item Terentius Varro de novem disciplinis, unum de architectura: P. Septimius duo.* Vt in ipsius primi libri prooemio

complexus esse, quae ad genus universum spectarent, videatur. Quale illud est apud Cassiodorum p. 528 b: *scire autem debemus, sicut Varro dicit, utilitatis alicuius caussa omnium artium exstitisse principia:* et haud dubie alia complura non nominato auctore vel a Cassiodoro vel ab Isidoro atque etiam a Marciano Capella exposita, qualia tamen ut in coniectura posita in praesenti praetermittimus omnia.

§. 3.

1. Singulorum autem librorum argumenta indagantibus praesto haec sunt partim aperta testimonia partim non ambigua vestigia, per eadem illa potissimum scripta haud parvo numero sparsa. Ac de dialectica et rhetorica iam vidimus antea. Et dialecticae quidem auctorem Varronem aperto opertorum verborum artificio etiam Marcianus IV, p. 96 ed. Grot prodidit, illam ipsam prodeuntem faciens et sic exordientem: *Ni Varronis mei inter Latiales glorias celebrati mihi eruditio industriaque suppeteret, possem femina Doricae nationis apud Romuleae vocis examina aut admodum rudis aut satis barbara reperiri. quippe post Platonis aureum flumen atque Aristotelicam facultatem M. Terentii prima me in latinam vocem pellexit industria ac fandi possibilitatem per scholas Ausonias comparavit.* Ad eum de dialectica librum pertinet fortasse Gellii quaedam memoria XVI, 8: *cum in disciplinas dialecticas induci atque imbui vellemus, necessus fuit adire atque cognoscere quas vocant dialectici εἰσαγωγάς. tum, quia in primo περὶ ἀξιωμάτων discendum, quae M. Varro alias profata, alias proloquia appellat* e. q. s. *Proloquia* ubi appellaverit, ipse paullo post nos certiores fecit Gellius, in libro de lingua latina ad Ciceronem quarto et vicesimo; unde in promptu est ex ipso dialecticae libro alterum nomen *praefata* repetere.

2. Ad rhetoricam autem dubitari potest num Priscianus spectet lib. IX p. 872 P. (468 Kr.): *Varro tamen etiam adolui protulit in III. Rhetoricorum: „postquam adoluerit haec iuventus“.*

Nam Rhetoricorum libri Varronis si exstiterunt unquam, quod esse veri simile negamus, diversi fuerunt a compendiaria illa expositione. Ac proclivis est de librariorum vitio suspicio: quando in Nonii codicibus non modo *de re publica* et *de re p. r.* et *de rerum natura* libri sola scribentium vel legentium oscitantia positi sunt pro *rei rusticae* libris, sed manifesto errore ipsorum adeo *Rhetoricorum lib. xx* ter (p. 59, 2. 92, 10. 14) commemoratus pro *Rerum humanarum lib. xx*, id quod a Scaligero Popmaque eo certius intellectum est, quo probabilius ad eundem Rer. hum. librum consimili errore orti et *rei publicae lib. xx* (p. 161, 7) et *de re rustica lib. xx* (p. 519, 22) referuntur. Quanquam ut libere quod sentimus fateamur, licet profecto illud *III. Rhetoricorum* ita tutari, ut male Priscianus in hanc partem interpretatus esse credatur *Disciplinarum librum III de rhetorica*, qua citandi forma percommode uti vetustior aliquis grammaticus potuerat, si modo ante rhetoricam, non post eam ut Cassiodorus Isidorusque, dialecticam Varro tractaverat. Id autem ipsum prorsus credibile est non tantum propter Augustini Marcianique, antiquiorum et locupletiorum testium, exemplum secundo loco dialecticam collocantium, sed magis etiam iccirco quod a contrarii ordinis auctoribus Cassiodoro et Isidoro ipsius Varronis de utraque arte verba, quae supra posuimus, ita produntur ut rhetoricam praecedat dialectica. Ceterum percommode cum Prisciani exemplo comparari illud potest, quod de lingua latina libri sat multis grammaticorum locis ita commemorantur, ut afferatur *Varro de lingua latina ad Ciceronem* (vel simplicius etiam *Varro ad Ciceronem*) adiecto eo libri numero qui ad opus universum XXIV libris comprehensum spectat, tametsi quattuor ab initio libri minime sunt ad Ciceronem scripti.

§. 4.

Primum autem locum res ipsa loquitur grammaticae Varronem cum reliquis auctoribus omnibus tribuisse. Quo libro facile

perspicitur illum tanquam quibusdam lineamentis eam artem adumbrasse, quam uberius cum in XXIV *de lingua latina* libris, tum eis libris persecutus est quos *de lingua latina* vel potius *de sermone latino ad Marcellum* scripsit. Nec desunt Varronianae doctrinae certae apud posteriores disciplinarum scriptores notae. Isidorus enim I, c. 3 *primordia* ait *grammaticae artis litterae communes existunt, quas librarii et calculatores sequuntur. quarum disciplina velut quaedam grammaticae artis infantia est, unde et eam Varro litterationem vocat.* Quocum conferendi Augustinus de ord. II, 35: *nata est illa librariorum et calculonum professio velut quaedam grammaticae infantia, quam Varro litterationem vocat: graece autem quomodo appelletur, non satis in praesentia recolo;* Marcianus III, p. 50, ubi verba faciens Grammatica *hinc* inquit *mihi Romulus litteraturae nomen adscripsit, quamvis infantem me litterationem voluerit nuncupare, sicut apud Graecos γραμματιστική primitus vocitabar;* Asper Putschii p. 1725: *quam* (grammaticam) *Terentius etiam Varro primum ut adhuc rudem appellatam esse dicit litteraturam;* Marius Victorinus eiusd. p. 2451 (Gaisf. Metr. p. 2): *ut Varroni placet, ars grammatica, quae a nobis litteratura dicitur, scientia est eorum quae a poetis, historicis oratoribusque dicuntur ex parte maiore. eius praecipua officia sunt quattuor, ut ipsi placet, scribere, legere, intelligere, probare.* *) Atque haec omnia etsi suapte natura talia sunt, qualia potuerint etiam in alterutris *de lingua latina* libris tractari, tamen omnis de singulari commentario dubitatio planissimo testimonio removetur, quod e Gn. Cornuto Cassiodorus excerpsit cap. 1 de orthographia p. 576 b (p. 2286, 3 P.): *Praeterea in libro quem de grammatica Varro scripsit, cum de litteris dissereret, item* [vulgo *ita*] *h inter litteras non*

*) In alio igitur libro haec posita fuit eiusdem Varronis partitio ad Graecorum exemplum magistrorum conformata: *Grammatici officia, ut asserit Varro, constant in partibus quattuor, lectione, enarratione, emendatione, iudicio* Testatur Diomedes II, p. 421.

esse disputavit. quod multo minus mirum, quam quod x quoque litteram esse negat: in quo quid viderit nondum deprehendi. ipsius verba subiiciam: *„litterarum partim sunt et dicuntur, ut a et b: partim dicuntur et non sunt, ut h et x: partim sunt neque dicuntur, ut φ ψ."*

§. 5.

Non minus certis, sed longe pluribus testimoniis de geometria constat. Primum Cassiodori de art. et disc. c. 6, p. 560 b: *mundi quoque figuram curiosissimus Varro longae rotunditati in geometriae volumine comparavit, formam ipsius ad ovi similitudinem trahens, quod in latitudine quidem rotundum, sed in longitudine probatur oblongum.* Deinde Marciani VI, p. 190: *denique si Marcum Terentium paucosque Romuleos excipias consulares, nullus prorsus erit, cuius ista* (geometria) *limen intrarit.* Praeterea Schneiderus in Vitruv. VII, praef. *de geometria* ait *librum ad M. Coelium Rufum scriptum laudat Iul. Frontinus de limitibus agrorum;* in commentatione autem de Varr. vit. et scr. p. 234 adeo *libros IX Disciplinarum ad M. Coelium Rufum scriptos memorare cum aliis Vitruvium* l. ss. dicit, quod ei Fabricius praeierat Bibl. lat. I, p. 125 Ern. *) Horum omnium nihil verum est. Nam apud Frontinum quidem p. 38 ed. Goes. haec tantum exstant: *nam ager arcifinius, sicut ait Varro, ab arcendis hostibus est appellatus.* Sed inde a p. 235 per aliquot paginas perscriptum est caput gromaticum de *casis litterarum* hoc praemisso indice: *INCIPIT LIBER MARCI BARONIS DE GEOMETRIA AD RVFVM FELICITER,* additis in margine his: *al. SILBIVM. item al. RVFVM SILVIVM.* Eoque spectat Ausonii Popmae annotatio p. 298 ed. Bip.: *Huius* (de geometria) *libri fragmentum vetustissimum*

*) Tertio modo fallit *libros IX Disciplinarum ad M. Coelium Rufum scriptos memorare Gellium X, 1* dicens ann. in Vitr. l. ss.

Langobardicis (i. e. quadratis de certa loquendi consuetudine illius aetatis) *exaratum nobis communicavit vir doctus summaque humanitate praeditus Ioannes Arcerius, sed ita mutilum et corruptum ut nihil, sane non multum intersit aut omnino periisse aut ita lacerum superfuisse. sic autem inscribitur*: M. BARRONIS LIBELLVS DE GEOMETRIA AD RVFVM SILVIVM. *tum sequitur*: . : . sequitur initium non leviter discrepans a Goesiano exemplo. Summa autem diligentia neutro loco Arceriani codicis inscriptionem exhiberi nunc intellectum est F. Blumii nostri in Mus. Rhen. iur. VII, p. 191 sq. narratione, qui hunc indicem testatur: *Incipit liber Marci Barronis de geometria ad rufum feliciter silbium.* Apparet igitur soli sive Popmae sive alius coniecturae eique satis incertae deberi M. Caelii Rufi nomen, clarissimi viri, de cuius rebus praeter alios Meyerus Orat. Rom. fragm. p. 458 sqq. ed. nov. et Orellius Onom. Tull. II, p. 113 sqq. exposuerunt. Vt ad eum Rufum parum caute Meyerus quoque in Cic. Brut. 79, 273 et Ellendtius hist. eloqu. p. 127 ed. nov. Varronianum librum rettulerint sine ulla dubitationis significatione, corruat autem etiam temporum computatio Schneideri, quam his Disciplinarum libris adhibuit. *Silvium* sane Romanum hominem novimus nullum, e *Siliis* autem nullum Rufum. Contra P. Suillius (quod nomen non raro in codd. scribitur *Suilius*) Rufus praesto est consul a. u. 797, de quo Plinius N. H. VII, c. 4 et Tacitus Ann. lib. XI. XII XIII: cuius quidni avus potuit aequalis esse Varronis? Quanquam tali quidem coniecturae non habemus qui maiorem probabilitatem aliunde conciliemus. Ille tamen Rufus quicunque fuit, huic inscriptum de geometria librum Varronis etiam in re gromatica versatum esse non minus certum est, quam non esse Varronis quae ei tribuuntur in illa agrimensorum congerie. Immo casu intercidisse, quae e Varrone excerpta essent, prorsus credibile est, relictam autem inscriptionem cum alienis coaluisse. Idque cum ipsius Arceriani codicis rationes persuadent, in quo inscriptio illa ultimum locum integri quaternionis (XI) tenet, de *casis* autem expositio in summo quaternione XII incipit,

tum confirmat apographum Ienense, quod eandem inscriptionem longe alio loco eoque item ineptissimo, inter medias Frontini *de coloniis* disputationes (p. 117 G.) exhibet. Quo accedit, quod ne in Vaticano quidem apographo ea de qua agimus inscriptio et de casis expositio coniunctae sunt. Quarum rerum testis Blumius p. 191 sq. 193 et 195.

Non alium nisi de geometria librum Boethius qui fertur significat eo commentariolo qui inscribitur *de geometria:* cuius quae vera ratio sit, eiusdem demum Blumii diligentia patefactum est p. 228 sqq. 235 sqq. En verba personati Boethii p. 1234 ed. Bas. a. 1546: *Nos tamen, quae de numeris a Nicomacho diffusius disputata sunt, vel a Varrone de mensuris ostensa sunt, moderata brevitate collegimus.* Vnde profectus nescio an eodem recte haec referam Prisciani VIII, p. 818 P. (403 K.): *infit, cuius Varro in mensuralibus primam ponit personam infio.* Et habent hic quidam codices *Varro in mensuris.* Multum fallitur Oehlerus Varr. Sat. p. 66 logistoricum fuisse *de mensuris* inscriptum coniiciens.

§. 6.

1. De astrologia quoque aperte testatur Cassiodorus c. 6 p. 560 a: *status stellarum est quod Graeci στηριγμόν vocant: quia, dum stella semper moveatur, attamen in aliquibus locis stare videtur. nam et Varro libro quem de astrologia conscripsit, stellam commemorat ab stando dictam.* Eam autem vocabuli notationem et Isidorus suscepit III, c. 59 et 60, et vero Marcianus quoque VIII, p. 275 ima, et is quidem *quendam Romanorum* antestans *non per omnia ignarum sibi:* quem nemo non videt ipsum Varronem dici. Quo Marciani de se ipso testimonio profecto non mediocris fides ei coniecturae additur, qua illum Varrone aliqua ex parte usum esse iam supra significabamus. Ceterum *ignarus mei,* quod editur, vix scripsit Marcianus, sed *mihi:* caussa erroris compendium scriptionis fuit *m̊*.

2. De musica testimonium quidem non exstat, sed aperta

satis significatio fit eiusdem verbis Cassiodori c. 5, p. 557 b: *quoniam hyperlydius tonus omnium acutissimus septem tonis praecedit hyperdorium omnium gravissimum. in quibus, ut Varro meminit, tantae utilitatis virtus ostensa est, ut excitatos animos sedaret, ipsas quoque bestias nec non et serpentes, volucres atque delphinas ad auditum suae modulationis attraheret.* Rursum autem in Musica quoque Varrone Marcianus utitur IX, p. 314, ubi inter plurima alia miranda, quibus victrix vis musicae artis apparuerit fama hominum, hoc memorat: *nonne ipsius vetustatis persuasione compertum, in Lydia nympharum* (vulgo *lympharum*) *insulas dici, quas etiam recentior asserentium Varro se vidisse testatur: quae in medium stagnum a continenti procedentes cantu tibiarum primo in circulum motae, dehinc ad littora revertuntur.* Quibus sane per se spectatis non ineptus etiam in geographicis locus. Sed cf. praeterea §. 10 et 14.

§. 7.

Paullo impeditior de arithmetica quaestio est: tametsi de novem disciplinarum libris agens Fabricius l. ss. *ex his* inquit *librum de arithmetica adhuc superstitem se vidisse Romae apud Laurentium Strozzium Cardinalem testatus est Vertranius Maurus in Varronis vita.* *) De quo unusquisque existimet arbitratu suo: nobis incom-

*) De vita Varronis a Mauro scripta nec nota res nec credibilis: ut aliquid temere miscuisse Fabricium suspicer. A quo aliquantum discrepat Ausonius Popma in Bibliotheca Varroniana p. 497 ed. Lugd. B. a. 1601: *de arithmetica lib. I, quem manu descriptum hodie quoque superstitem esse et Romae in bibliothecis adservatum vidisse testatur M. Vertranius [.] Alciatus hoc amplius se editurum pollicetur, quod tamen credo iuris civilis professione, in qua maxime excelluit, et graviorum disciplinarum studiis impeditus non praestitit.* E quibus verbis indiligenter conflatis aliquem M. Vertranium Alciatum finxit Oehlerus Satir. p. 10.

perta res. Nec multum tribuerim Agrimensorum eis codicibus, quos tertia classe a se comprehensos Blumius p. 216 testatur *Varronem de arithmetica*, non *de geometria* commemorare. Sed *de numeris* librum Varronis Fabricius scribit a Censorino (de d. nat.) c. 2 allegari. Nihil est sane, cur hoc indice commentarium de arithmetica negemus similiter posse denotari atque liber geometriae breviter dictus est *de mensuris*. Verum in Censorini verba id cadit minime: ibi enim quod *Varro* commemoratur *in eo libro cui titulus est Atticus, et est de numeris*, is quidem fuit unus e libris logistoricis, et ut videtur ne vere quidem *de numeris* inscriptus, sed *de muneribus* potius: de quo alibi dictum. Item hinc segregandus Rufinus p. 2720 P. 398 Gaisf. in eis scriptoribus, qui *de numeris* latine scripserint, referens etiam Varronem: quem locum §. 13 tractabimus. Contra imprimis huc facit Incertus de grammatica, quem Augustinum ferunt, p. 2008 P., ubi adverbiorum numeralium in *um* et in *o* exeuntium discrimen sic explicatur: *secundo autem ad ordinem pertinet, secundum ad numerum: ut puta cum dico, secundo factus est consul, pertinet ut dixi ad ordinem, quod primo alter factus sit et sic alter secundo. cum autem dicimus secundum consul vel tertium vel quartum vel quintum vel sextum, ad numerum pertinet, quod sexies fuerit consul. . . . Hoc Varro distinxit in l i b r i s n u m e r o r u m.* Erratum est *libris* pro *libro*: Disciplinarum autem certum librum cogitari, quo de numeris Varro egisset, luculenter demonstrare licet collato Gellio X, 1, cui sua debet Nonius p. 435: *Verba M. Varronis ex libro Disciplinarum quinto haec sunt: aliud est quarto praetorem fieri et quartum, quod quarto locum adsignificat ac tres ante factos, quartum tempus adsignificat et ter ante factum. igitur Ennius recte quod scripsit „Quintus pater quartum fit consul", et Pompeius timide quod in theatro, ne adscriberet „consul tertium" aut „tertio", extremas litteras non scripsit.* Quodsi haec ab ipsius artis arithmeticae vel notione vel usu satis aliena dixeris, scire velim, in quam aliam artem disciplinamve (si ab ipsa grammatica recesseris) eadem aptius et cum maiore neces-

sitatis specie conveniant? Reputandum est enim eum esse Varronem, qui in quovis genere grammaticum agat praeter cetera. Itaque variis numerorum notionibus quae indita essent vocabula, non incuriose eum in libro de arithmetica docuisse, alio quoque exemplo probari coniicimus, quod est apud Priscianum de fig. num. p. 1356 P. 401 K.: *duo asses*, *dussis*, *dupondius*, *tressis*, *quadrassis*, *decussis*, *vicessis*, *tricessis*, *quadragessis*, *quinquagessis*, *sexagessis*, *septuagessis*, *octogessis*, *nonagessis*, *centussis*, *post quem numerum teste Varrone non componuntur cum asse numeri.* Ne illa quidem a tali tractatione arithmeticae abhorrere videntur, quae e Varrone Gellius III, 14 excerpsit de discrimine *dimidius* et *dimidiatus* vocabulorum. Nam ab ipso Gellio tractatos esse Disciplinarum libros aliis quoque documentis infra patefiet. Falsum est autem, quod placuit Barthio Adversar. VI, 6, ex arithmetica Varronis hausta esse haec Favonii Eulogii in Somn. Scip. p. 407 Orell.: *ad hunc numerum cubicum, ut Varroni placet, lunaris cursus congruit revolutio, quae in XXVII diebus omne tanti sideris lumen exhaurit.* Quae unusquisque sua sponte intelligit locum etiam in astrologia habere potuisse, habuisse autem in geometria intelliget qui §. 17 a nobis disputata perlegerit. Krahnero igitur cave assentiare ad Hebdomadum librum primum illa referenti comm. de Varr. antiquit. p. 9. Quo libro, tanquam prooemio ipsis Imaginibus breviculisque earum explanationibus praemisso, etsi de numeris multa et exquisite et frigidiuscule congesta esse e Gell. III, 10 apparet, tamen ad unum haec omnia septenarium numerum spectabant: cuius etsi aliquoties apud Eulogium paullo ante mentio fit, tamen ipsa illa, quibus Varronis auctoritatem adhibuit, verba ad septenarium numerum nullo modo pertinent. — Ceterum de arithmetica cf. etiam §. 11. 13.

§. 8.

1. Septem disciplinarum indicia persecuti sumus: restant duae quae in septem artium orbem novicia consuetudine finitarum non sunt receptae. Earum unam fuisse architecturam (quae Quintiliano II, 21, 8 est *architectonice*) Vitruvius testatur. Cuius scriptoris quod multis locis impressa Varroniani sermonis et ingenii vestigia agnovisse sibi visus est Schneiderus ann. in VII. praef., id etsi non potuimus dedita opera quale sit inquirere, tamen multum veremur ne leviore similitudine et quae longe alias caussas aliamque vim habeat, quam vera affinitate nitatur.

2. Nonam autem disciplinam quam putabimus esse? Non mirer si quis de ipsa *philosophia* cogitet motus Augustini exemplo (§. 1), apud quem magnam fuisse Varronis auctoritatem constat. Et scripsisse sane Varronem *librum de philosophia* extra dubitationem positum est: e quo amplum idque satis memorabile fragmentum exstat lib. XIX de civit. dei c. 1. 2 et 3. Inter quem librum eiusdemque Varronis *de forma philosophiae secundum*, e quo Charisius I, p. 79 *capparim feminino genere* affert, perobscurum est quae ratio intercesserit. Schneideri enim comm. de vit. et scr. p. 232 sententiae, de forma philosophiae fuisse secundum librorum de philosophia, diligentis in hoc genere obstat Augustini auctoritas, qui de libro, non de libris loquitur. Cf. infra §. 11. — Prorsus autem hinc alienum esse apparet a Nonio p. 171. 192. 316 proditum titulum *Varro Periplu lib. II. περὶ φιλοσοφίας* (sic enim ubique scribendum): quam satiram esse cum e duplici inscriptione tum e graeco indice tum ex immistis versiculis perspectum est. *) Potuit autem Periplus ille, ut exemplo

*) Vide Oehlerum Varr. Sat. p. 61, versuum tamen fictorem non victorem. Scribe:
Ac multa ambrosia ac nectar, non allia, sardae,
Panis, πέμμα, lucuns, cibu' qui purissimu' multo est. —
Ceterum unus est Graecus index libri Varroniani, quo quid fiat difficile dictu

utar, ita bipertitus esse ut, quemadmodum altera pars περὶ φιλοσοφίας, ita prior esset sive περὶ ἱστορίας sive περὶ πολιτείας vel πολιτικῆς. In tale certe argumentum duo libri I fragmenta quadrant Non. p. 192 et 316: *in hac civitate agros colunt harenosos; praeter hos fluit amnis quam olim Albulam dicunt vocitatam:* — et: *in hac civitate tum regnabat Dionysius, homo garrulus et acer.* Nisi forte vera per varias terras peregrinatio, *periplus* dicta simpliciter, et opponebatur et comparabatur tanquam itineri cuidam per philosophiam eiusque varias regiones facto. — Praeterea locos philosophicos tractatos esse in Antiquitatium prooemiis ipse Varro testatur apud Ciceronem Academ. I, 2: de qua re subtiliter disputavit Krahnerus l. ss. p. 14 sq. — Sed praeter hos sive tres sive quattuor locos *de philosophia*

---

est. Nam nec ad satiram videtur spectare posse quod exstat apud Charisium II, p. 170: *Varro in tertio περὶ χαρακτήρων*, nisi quidem de tripertita adeo satira cogites, nec de doctrinae studiis disputationes suas Varro unquam Graeco indice appellavit, ne ita quidem ut eum latino sociaret. Id si semel factum esse concedatur, sat commode huc conveniat Varroniani libri index *de proprietate scriptorum* apud Non. p. 334: quo non inepte referas e Gell. VII, 14 haec: *vera autem et propria huiuscemodi formarum exempla in latina lingua M. Varro esse dicit ubertatis Pacuvium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium:* idque eo sane probabilius, quod ipso capitis initio de tribus dicendi generibus verba faciens Gellius graeco χαρακτῆρες nomine usus erat. Quanquam talium proferendorum quam varia potuerit esse opportunitas, gravi documento sunt valde affinia exempla haec: *ἤθη nullis aliis servare convenit quam Titinio, Terentio, Attae, πάθη vero Trabea, Atilius, Caecilius facile moverant* (de quo vid. Parerg. Plaut. I, p. 194): — *in argumentis Caecilius poscit palmam, in ethesin Terentius, in sermonibus Plautus:* — quorum illud e *lib. V de latino sermone* (ad Marcellum) affert Charisius II, p. 215, hoc e satira quae inscribitur *Parmeno* Nonius p. 374. — Permire autem Popma p. 496 περὶ χαρακτήρων libros eosdem esse coniicit cum illis *de formulis verborum*, quos se scripturum Varro polliceatur libro nono ad Ciceronem h. e. X, 33 p. 563 Sp.

Varronem, hac quidem inscriptione usum, etiam in Disciplinarum libris dedita opera exposuisse, non tantum probari nequit, sed confidentissime negandum est.

§. 9.

Circumspicientibus enim nobis, quae potuerit in reliquarum artium societatem ascita esse disciplina, et tanquam sua sponte se offert et hunc locum firmiter tuetur medicina. Eam non semel reperimus in ipsis liberalibus artibus habitam, ut Senecae epist. 95, 9: *adiice nunc, quod artes quoque pleraeque, immo ex omnibus liberalissimae, habent decreta sua, non tantum praecepta, sicut medicina.* Quid? quod iam C. Iulius Caesar una coniunxit *omnes medicinam Romae professos et liberalium artium doctores,* quos civitate donaret teste Suetonio c. 42. Nolo enim ad posteriora saecula descendere, quibus *medicos* vel *archiatros* cum *grammaticis, oratoribus, philosophiae praeceptoribus, magistris* vel *professoribus litterarum, artium liberalium professoribus* iunxerunt Theodosiani codicis leges XIII, 3, 1. 3. 16 sq.: de quibus temporibus dixerunt Gauppius noster comm. de professoribus et medicis eorumque privilegiis Vratislaviae a. 1827 edita et Baehrius diss. de litterarum universitate Constantinopoli V. p. Chr. n. saec. condita (Heidelbergae a. 1835) p. 8 sq. Cum ipsa autem architectura medicinam Cicero composuit de offic. I, 42: *quibus autem artibus aut prudentia maior inest, aut non mediocris utilitas quaeritur, ut medicina, ut architectura* e. q. s.: item Cassiodorus Variar. III, 52: *geometriam . . . Chaldaei primum invenisse memorantur, qui rationem ipsius disciplinae generaliter colligentes et in astronomicis rebus et in musicis et in mechanicis et in architect[on]icis et ad medicinam et ad artem logisticam . . . aptam esse docuerunt.* Sed his tamen levioribus sane indiciis noli nostram de tractata a Varrone medicina sententiam superstructam putare. Quam quidem gemina argumentatione hac communimus. Primum enim si reputaveris quae ratio inter

Varronem et Marcianum Capellam intercedat, ut qui dialecticae auctorem Varronem commemoret in suo de dialectica libro, item geometriae in suo de geometria, praeterea eundem de *stella* vocis origine sequatur in astronomia: facilis erit de Marciani IX, p. 302 verbis coniectura, quibus plurimum in hac caussa tribuimus. Postquam enim coram Iove deorumque coetu sex Artes prodierunt, prius quam suas partes septima agit, *superum pater, qui probandarum numerus superesset, exquirit. Cui Delius* (verba sunt Marciani) *Medicinam suggerit Architectonicamque in praeparatis assistere. sed quoniam his mortalium rerum cura terrenorumque sollertia est, nec cum aethere quicquam habent superisque confine: non incongrue, ac si fastidio respuantur, in senatu caelico reticebunt, ab ipsa deinceps virgine explorandae discussius. una vero, quae potissima caeli siderumque dilectior est, examinis huius tam favore quam voluptate disquiretur tuisque conspectibus non poterit sine scelere viduari* (h. e. Musica.) Horum igitur cum haec vis sit, ut excludi a Marciano duae artes cum reliquis septem alias comprehensae dicantur: quando illarum alteram ab ipso Varrone comprehensam in confesso est, ad eundem Varronem medicinae spectare mentionem haud profecto obscura significatio fit. Absque quo esset, cur illas ipsas disciplinas Marcianus praeter ceteras commemoraret? cur non agriculturam, quam suis *Artium* libris novimus Celsum complexum esse? cur non pingendi sculpendive artes? Firmatur autem sententia nostra altero argumento, quod petimus e gemina Nonii memoria, p. 135: *luscitiosi, qui ad lucernam non vident et μύωπες vocantur a Graecis. Varro Disciplinarum lib. VIII: vesperi non videre, quos appellant luscitiosos* *);

*) Pergitur apud Nonium sic: *Idem Andabatis: edepol idem caecus, non luscitiosus est.* Mirer si prope eadem verba Varronis Plautique communia sint. Quapropter nescio an haec lacunosa sint et sic instauranda: *Idem Andabatis:* [* * * *Plautus Milite glorioso:*] *edepol* [*tu qu*]*idem caecus, non luscitiosus es.* Habentur enim haec Mil. II, 3, 51. Ceterum *lusciosus* formam tacito sustuli.

— et p. 551: *portulaca. Varro Disciplinarum* (*Disciplinae* codd.) *lib. VIII: manducata portulaca cito tollit*, ubi aliquid excidit eorum quae *manducata porcilaca* sanari Plinius tradidit N. H. XX, 20, 81, velut *ulcera* (oris), *tumorem* (gingivarum), *dolores* (dentium) et quae sunt reliqua: *sitim* Lipsius et Popma inseruerunt. Non esse casu factum apparet, quod ex uno eodemque libro ad morbos et medicamenta spectantia fragmenta duo proferuntur: immo eo ipso libro tractatam esse medicinam vix potest dubitari. Eamque rem gravius etiam similium multitudo fragmentorum persuadet, quae composita habes §. 21. Et usus est Varronianis etiam Isidorus in ea parte Originum, quae continuo excipiens mathematicas disciplinas est de medicina, IV, 8, 13: *auruginem vero Varro appellari ait a colore auri*; et 11, 4: *est enim pila vas concavum et* m e d i c o r u m *aptum usui, in quo proprie ptisanae fieri et pigmenta confici* (vulgo *concidi*) *solent. Varro autem refert et Pilumnum quendam in Italia fuisse, qui pinsendi praebuit artem: unde et Pilumni cultores pistores.**) *ab hoc igitur pilum et pila inventa* (vulg. *inventam*), *quibus far pinsitur, et ex eius nomine ita appellata.* Quanquam haec non intercedemus sane si quis aliunde derivare malet, velut ex libris de vita populi Romani collatis Nonio p. 528 et Servio in Aen. X, 76.

§. 10.

1. Sequitur ut, quo ordine novem quas explorasse videmur disciplinas Varro disposuerit, quaeratur: quae res non paucas habet dubitationes. Ac duo certa sunt: quinto loco tractatam esse arithme-

---

*) Sic correximus haec: *unde et pilumni et pistores*, collato Servio in Aen. IX, 4: *Pilumnus vero pinsendi frumenti* (usum invenit), *unde et a pistoribus colitur. ab ipso etiam pilum dictum est.* — Paullo ante *pinsendi praebuit artem* e codd. recepimus pro *pinsendis praefuit arvis*, quod a Popma in *hordeis* mutatum est.

ticam, octavo medicinam; vix minus certum tertium hoc, ut primus, secundus, tertius liber dicati esse grammaticae, dialecticae, rhetoricae credendi sint: de quo ordine cf. §. 3. Nam quod Gellii X, 1 in quibusdam exemplaribus legitur *ex libro Disciplinarum quarto* pro *quinto*, id a solo Stephano invectum esse contra codices mss. Gronovius testatur. Quodsi ad reliquas transgressus id agas, ut cum quattuor *mathematicis*, *quadrivii* nomine postea connexis, tanquam cognatam iungas architecturam, frustra elaboraveris: quando quattuor tantum artibus locus datus est inter tertium et octavum librum. Mathematicas autem illas quattuor ut iam a Varrone continuatas existimemus, non potest non suadere Isidori, Boethii, Cassiodori, Marciani ipsiusque ut videtur Quintiliani consensus. Vt cum hac de caussa tum propter Marciani de se ipso testimonium architecturam veri sit simile ultimum locum obtinuisse: nam et magis profecto consentaneum est ab eo, qui intueretur Varronis exemplum, resectas esse extremas quam medias quasdam, et eodem adeo ordine Marcianus a se praetermissas commemorat medicinam et architecturam, non architecturam et medicinam. Nec certe, si paenultimus locus tributus erat medicinae, hanc contendi potest aptius vel a musica vel ab astrologia, quam ab architectura excipi. Quod autem ad ipsarum mathematicarum inter sese ordinem attinet, sine certa sede omnium maxime vagari musicam videmus. Quam reliquis postposuit Marcianus, praemiserunt Quintilianus et Augustinus, mediam inter geometriam et arithmeticam posuit Seneca, inter arithmeticam et geometriam Boethius et Isidorus, utrique subiecerunt idem Isidorus altero loco cum Cassiodoro. Ex his rationibus minimam fidem habent mediae, quibus divelluntur geometria et arithmetica. Quibus etsi haudquaquam incommode praeponitur musica utpote grammaticae et humanae linguae notioni valde affinis, tamen in Varronem quidem is ordo ita tantum cadere possit, ut simul geometriam praecedat arithmetica quippe quinto libro tractata. Id autem ipsum non sine confidentia pronuntiamus carere probabilitate. Nam quantumvis in hoc genere inter se discrepent artium

auctores, in una re non promiscue discedunt, sed saeculorum ordinem ipso dissensu servant constantissime. Posterioris vel infimae aetatis sunt, qui priorem esse arithmeticam voluerunt, Cassiodorus, Boethius, Isidorus: a geometria ordiuntur, qui ad meliora saecula propius accedunt, Marcianus, Augustinus, Seneca. *) Ergo post rhetoricam geometria et arithmetica collocatis unum controversum hoc restat, quo has ordine musica et astrologia exceperint. Quae res etsi est sane ancipitis ratiocinationis, tamen quoniam praeter reliquos scriptores unus e Varrone Marcianus pependit, ex huius quam ex aliorum exemplo tutior poterit etiam de harum disciplinarum sedibus coniectura fieri. — Nullam autem rationem vel habuimus vel habendam concedimus unius testimonii, quo videtur sane omnis quem proposuimus disciplinarum ordo everti. Est id Acronis in Horat. Art. poet. 203 haec annotantis: *Varro ait in tertio Disciplinarum et ad Marcellum de lingua latina quattuor foraminum fuisse tibias apud antiquos, et se ipsum ait in templo Marsyae vidisse tibias quattuor foraminum.* Non posse his in alia disciplina nisi in musica locum fuisse, haud gravate unusquisque concesserit, iis praesertim collatis quae §. 14 afferentur: nemo autem, qui ei disciplinae tertius dicari liber potuerit, ulla puto ratione expediet: quando nec quomodo divellere rhetoricam et dialecticam, nec quem locum divulsae alterutri tribuere qui sape-

---

*) De hac differentia sic Cassiodorus c. 4 p. 553 a: *Scriptores saecularium litterarum inter disciplinas mathematicas primam omnium arithmeticam esse voluerunt propterea quod musica et geometria et astronomia, quae sequuntur, indigent arithmetica: . . . . . arithmetica vero ut sit, neque musica neque geometria neque astronomia egere cognoscitur.* Verissimum hoc, sed ut tamen nec uno nec tribus ante saeculis intellectum vel intellectis obtemperatum esse exempla clament: pertinax enim humani erroris natura et vis diutina. Quare quid est tandem, cur in illis scriptoribus saecularibus non posse non fuisse ipsum Varronem contendas? Quem suo quodam modo multum diverso de mutua disciplinarum affinitate ratiocinari potuisse facile ex iis coniicias, quibus quam late voluerit geometriae vim patere intelligitur.

ret potuerit, vel perspicimus vel aliqua coniectura assequimur. Aut igitur mendum est in numero, aut pertinet qui scriptus est numerus ad alterum testimonium: *tertio ad Marcellum* de *lingua latina*: extrusit autem *libro* vel *libris*. Certe non alienius a tertio ad Marcellum illud est quod de tibiis traditur quam quod apud Nonium p. 318 de *epicroco* communi viris cum mulieribus vestimento.

2. Quodsi id sequimur quod, licet demonstrari nequeat argumentandi necessitate, tamen a probabilitate proximo intervallo absit, nescio an universa Varroniani operis dispositio haec fuerit, ut ageretur

libro I. de grammatica
II. de dialectica
III. de rhetorica
IV. de geometria
V. de arithmetica
VI. de astrologia
VII. de musica
VIII. de medicina
IX. de architectura.

§. 11.

Satis nunc existimari de Ausonii Popmae iudicio poterit, qui Bibliothecae Varronianae p. 497 *Disciplinarum* inquit *libri VIII, in quibus fuit varia et ex omni disciplinarum genere delibata doctrina; nam hae quae appellantur artes sive disciplinae liberales, seorsim ab hoc opere libros singulares habuerunt.* De quo prorsus fefellit Popmam opinio. Qui quae praeterea commode affert e Claudiani Mamerti episcopi ad Sidonium Apollinarem libro II de statu animae verba, ea non dubito potiore ex parte ad ipsos Disciplinarum libros referre. Sunt autem haec cap. 8 p. 440 ed. Galland. Ven.: *M. Varro sui saeculi peritissimus et teste Tullio omnium sine dubitatione doctissimus, quid in musicis, quid in arithmeticis, quid in geometricis, quid in*

φιλοσοφουμένων libris divina quadam disputatione contendit, nisi ut a visibilibus ad invisibilia, a localibus ad illocalia, a corporeis ad incorporea miris aeternae artis modis abstrahat animum e. q. s. Gratum nobis fecit Claudianus, quod de musica deque arithmetica libros Varronianos, testimoniorum fide magis quam reliquos destitutos, sibi cognitos non ambigue significat: φιλοσοφούμενα autem fortasse librum de dialectica dixit, ita ut *libris* ad priora omnia pertineat: nam Isidorus quoque ipsi de dialectica disputationi integrum caput inseruit *de definitione philosophiae* II, 24, ad quod aditum his verbis parat: *solent autem philosophi, antequam ad isagogen veniant exponendam, definitionem philosophiae ostendere, quo facilius ea quae ad eam pertinent demonstrentur*. Nisi forte post *musica*, *arithmetica*, *geometrica*, genere neutro elata, transiit Claudianus ad φιλοσοφουμένων libros argumenti propinquitate finitimos, voluminibus prorsus ab illis discretos, cogitavitque sive de philosophicis disputationibus quibuslibet per plurimos commentarios Varronis sparsis, sive, quod lubentius amplector, de iis libris quorum secundus erat *de forma philosophiae*, vel de his unaque de libro singulari illo quem inscripserat *de philosophia*. Cf. §. 8. Vides quam multiplicem explicatum episcopi Viennensis ea verba habeant, e quibus, qui inconsultius agat, facile alterum argumentum petat (alterum quidem ex Augustini exemplo), quo ut nonam octo aliis disciplinis philosophiam a Varrone iunctam esse probet.

CAPVT II.

§. 12.

1. Circumspiciendum nunc est, si forte ex aliis fragmentis, quae ad Disciplinarum libros sola coniectura probabiliter referantur, etiam certiorem speciem singularum artium a M. Terentio pertractatarum menti nostrae informare liceat.

Ac de grammatica ἀποφατικὴ omnis disputatio nostra, non καταφατικὴ erit. Nam cum de grammatica librum Varronis in Cornuti verbis indagaverimus apud Cassiodorum de orthographia p. 2286 P., tamen quae praeterea ex eodem Cornuto Cassiodorus affert Varronis dicta sine certi libri indicio, ea cave ad eundem de grammatica commentarium illico referas. Ab illis enim quae supra perscripsimus haec excipiuntur Cornuti verba p. 2285, 35: *h sicut in quaestione est littera sit necne, sic nunquam dubitandum est secundo loco a quacunque consonante poni debere. quod solus Varro dubitat: vult enim auctoritate sua efficere, ut h prius ponatur ea littera quae aspirationem conferat, et eo magis hoc tentat persuadere, quod vocalibus quoque dicat anteponi ut heres, hircus. sed Varronem praeterit consonantem ideo secundo loco h recipere, quod non possit aspirationem nisi ante vocales habere* [vulgo *q. n. p. ante aspirationem nisi vocales habere*]. *itaque et ante et post, si h littera cuicunque tali non adiungatur* (vulgo *tali adiungatur*), *non sonabit. haec enim natura vocalium est ut, sive ante sive post se habeant h, quoquo genere enuntiationem non impediant.* His igitur si illa continuantur: *praeterea in libro quem de grammatica Varro scripsit* e. q. s., ipsa profecto recte cogitandi ratio evincit, ut ex alio, non ex eodem Varronis libro haec atque superiora expromi credantur. Quodsi quis de libris linguae latinae cogitet, quorum primo tractari talia potuerint: etsi hoc de-

monstrari nequit non factum esse, tamen non levibus indiciis quibusdam in longe aliam viam duci videmur.

2. Spectant enim et illa et alia complura testimonia Varroniana, et ea quidem ab orthographiae potissimum auctoribus prodita, ad eam partem grammaticae quae est de litteris deque recte scribendorum verborum ratione. Eaque caussa fuisse videtur, cur *libros de orthographia* Varroni Meyerus in Cic. Brut. 28, 107 tribueret: nullo id quidem idoneo argumento, sed pedisequo Ellendtio p. 369 ed. nov. Quos vix credi potest a vitiosa apud Priscianum III, p. 122 Kr. scriptura *Varro in orthographia* profectos esse, quam iam Putschius p. 609 mutaverat in *chorographia*, rectius etiam Wuellnerus de Varr. Atac. p. 24, cui Merkelius assentitur prolus. in Ovid. Ib. p. 361, videtur in *cosmographia* mutasse. Cf. Krehlii annot. I, p. 276. Sed ad illud genus haec pertinent eiusdem Prisciani I, p. 556 P. 37 Kr., ex antiquissimis codicibus redintegrata a Spengelio praef. Varr. p. 7: *quod ostendit Varro in primo de origine linguae latinae his verbis: „ut Ion scribit, quinta et vicesima est* [*qu. vic. et* Sp.] *littera quam agma vocant, cuius forma nulla et vox communis est Graecis et Latinis, ut his verbis: aggulus, aggens, agguilla, iggerunt. in huiuscemodi Graeci et Attius noster bina gg scribunt, alii n et g.“* Ergo, Priscianum si sequimur, de litteris Varro exposuit l i b r i s d e o r i g i n e l i n g u a e l a t i n a e. Non ignoramus a Varronianis criticis Priscianum existimari ipsum de lingua latina librum primum, qui esset de origine l. lat., denotare voluisse: simili brevitate dicendi atque *tertio Rhetoricorum* dixisse nobis visus est supra. Verum eam quidem coniecturam multum labefactat, immo evertit Apuleius de diphthong. p. 125 Os.: *haedus scribit Terentius Varro in l i b r i s de origine latinae linguae quibusdam placuisse per ae diphthongum notari, ut a verbo edo in quibusdam suis casibus discreparet. aliis vero visum esse ait, ut aspirationis nota hanc differentiam faceret, et maxime propterea quia Sabini, a quibus Romani hoc nomen habuere, fedus dicebant certumque est Romanos f Sabinorum in h solitos convertere. Sabini*

enim fircus, Romani hircus, illi vefere, Romani vehere protulerunt. Quibus adde ab eodem Apuleio de not. aspir. p. 94 (cf. p. 104) brevius significata: *Marcus Terentius scribit hedum lingua Sabinorum fedum vocatum Romanosque corrupte hedus pro eo quod est fedus habuisse, sicut hircus pro fircus et trahere pro trafere.* Quae fallitur Muellerus cum e lib. V de l. lat. §. 97 his verbis satis profecto diversis hausta putat: *ircus, quod Sabini fircus; quod illic fedus, in Latio rure edus; qui in urbe, ut in multis a addito aedus.* Mirabilius etiam Muellerus Varronis exili hac notatione §. 106: *hordeum ab horrido,* negligenter usum esse Apuleium p. 107 dicit: *Marcus tamen Varro in libro de origine latinae linguae, ab hordeo horreum derivatum aspirat, hordeum vero ab horrore tractum dicitur.* Quo exemplo nihil nisi hoc intelligitur, quod etiam aliunde constat, vel similiter in diversis commentariis, vel adeo in aliis aliter de eodem vocabulo Varronem statuisse.*) Velut de l. l. V, 160 cum *aedem* ducat *ab aditu, quod plano pede adibant,* longe diversum quiddam testatur Apuleius p. 127: *aedes, quod ab edendo secundum Varronem derivatum est* Hoc igitur non dubitamus ad libros de origine l. l. referre: quanquam plurimae sane Apuleii originationes Varronis nomini ascriptae (p. 129. 135. 139. 141. 142. 143) e nostris de l. l. libris fluxerunt: non omnes, ut p. 145 proposita, nec generaliter praeceptum p. 132. — Quod autem pro libris de orig. l. l. uno Apuleii loco ss. (p. 107) liber prodit singulariter, eo noli ita abuti, ut rursum ad primum de l. l. librum relabare coniectando. Nam libros fuisse, non librum, quibus de litterarum rationibus Varro exposuit, alius quoque grammatici testimoniis arguitur, Pompeii in commento artis Donati p. 9: ... *olim XVI fuisse, postea ex superfluo additas alias litteras et factas XXIII. habemus hoc in libris ad Attium apud Varronem, et cur tot sint et quare eo ordine positae et quare isdem nominibus vocentur.*

*) Hoc Varroni commune est cum aliis grammaticis πολυγράφοις, ut Apollonio Herodianoque, de quibus intelligenter ut assolet Lehrsius noster in Mus. philol. II, p. 119 sq.

Item p. 27: *Varro docet in aliis libris, quos ad Actium scripsit, XVI fuisse, postea tamen crevisse et factas esse XXIII.* (Aliunde tamen manasse videntur de generibus e Varrone excerpta p. 143.) Hiscine aptior excogitari locus potest quam de origine latinae linguae libri? quando nec *de grammatica* plures Varro libros, sed unum singularem composuit, nec in commentariis de lingua latina nostris ea disputatio, quae institui de litteris potuit, ultra ipsum primum librum potest producta esse. Vides quam omnia apte inter se coeant, ut Varronem *de origine linguae latinae libros ad Attium* scripsisse nobis persuadeamus, quibus ea pars grammaticae, quae est de litteris, praecipua cura pertractaretur. Quocirca coniunctis Diomedis, Prisciani ipsiusque Apuleii testimoniis non poterit non cedere semel tantum singulari numero commemoratus apud eundem Apuleium *liber*.*) Nec vel aetas L. Attii poetae repugnat vel ingenium dissuadet: seni enim, quem constat a doctrinae studiis minime alienum fuisse, mittere Varro adulescens potuit, quem mature scribere coepisse satis est consentaneum. Quid? quod vel Ciceronem Varrone aliquanto minorem scimus cum Attio adulescentem collocutum esse. Nec illud iustae offensioni est, quod in eisdem commentariis ipsius Attii, ut e Prisciani verbis discitur, mentio facta erat. Ex his autem magis etiam perspicitur, quam semet indignam coniecturam Ruhnkenius proposuerit apud Heusingerum Mallii Theodori de metr. p. 64 (Gaisf. Metr. p. 563) de Varronis *ad Atticum* libris cogitans, utpote cui (mirum dictu) Varronis de vita populi Romani libri inscripti fuissent. Quam coniecturam merito cum Schneiderus de vit. et script. Varr. p. 239 tum Muellerus in Varr. p.

---

*) Similia sunt exempla *liber ephemeridos (navalis)* in Itinerario Alex. M. c. 6, a quo non diversi *libri navales* Vegetii V, 11; item apud Charisium p. 113 *„inscribit Varro librum suum de poematis“*, collatis p. 82. 105. 114, ubi Varronis liber secundus et tertius *de poematis* commemorantur. Aliud exemplum recordabere e §. 7. In Macrobii quoque Sat. I, 16 errore nituntur *augurum libri*: de auguribus enim uno tantum libro Rerum divinarum Varro commentatus est.

264 exploserunt. Nec magis Osannus audiendus, suum illum Ateium huc quoque intrudens Anal. p. 67. Inconsideratius etiam Ruhnkenium secutus Krahnerus de Varr. antiquit. p. 20 primum de lingua latina librum coniecit ad Atticum scriptum fuisse, eundemque a Prisciano (Apuleium ignoravit) vocari *de origine linguae latinae*, a Laurentio autem Lydo de magistr. I, 5 sic significari: τῶν πρὸς Πομπώνιον γεγραμμένων: ita enim, iterum mutato nomine, scripsit pro eo quod proditum est πρὸς Πομπήιον.

3. Ad hos igitur de origine linguae latinae libros certe maiore iure, quam ad commentarium de grammatica, praeter Cornuti illa, quae hinc ne posse quidem sumpta esse supra ostendimus, haec quoque referas ex eodem scriptore excerpta. P. 2282, 32: *hanc litteram* (digamma) *Terentius Varro dum vult demonstrare, ita perscribit* VAV. P. 2286, 31: *Varroni placet r litteram, si primo loco ponatur, non aspirari: lector enim ipse, inquit, intelligere debet Rodum, tametsi h non habet, Rhodum esse, retorem rhetorem.* Nam hoc quidem Varronis placitum cum eis, quae de anteponenda *h* littera in eisdem libris disputavit, facile intelligitur sat commode conciliari nec ullo modo pugnare. Nec magis dubitamus de his p. 2284, 17, quae transierunt in Isidor. Orig. I, 26, 15: *lacrumae an lacrimae, maxumus an maximus, et si quae similia sunt, scribi debeant, quaesitum est. Terentius Varro tradidit Caesarem per i eiusmodi verba solitum esse enuntiare et scribere: inde propter auctoritatem tanti viri consuetudinem factam.* Omnino enim Cornutum prorsus credibile est, quoniam in medio demum disputandi cursu suo, Varronis iam saepius antea mentione simpliciter facta, semel certum eius librum antestatur et ita quidem antestatur ut prius prolatis Varronianis opponat, non ex hoc libro reliqua Varroniana vel ante vel post commemorata petisse. — Vix magis anceps est de Prisciani verbis I, p 544 P. 19 Kr. iudicium: *auctoritas quoque tam Varronis quam Macri teste Censorino nec k nec q neque h in numero adhibet litterarum:* quae libro I. de l. l. sine ulla certa caussa tribuerunt. Propius haec sane acce-

dunt ad eorum similitudinem, quae in libro de grammatica exposita esse Cornutus dicit: sed alteram tamen in partem non levem vim hoc habet, quod eius commentarii nulla apud Priscianum alibi mentio fit, de origine autem l. l. libros sibi cognitos ipse testatur. — Ceterum e Varroniana doctrina totum pependisse Nigidium Figulum auctor est Marius Victorinus de orthogr. p. 2456 P. 8 G.: *Nigidius Figulus in commentariis suis nec k posuit nec q nec x. idem h non esse litteram sed notam aspirationis tradidit.* Cf. p. 2466 (22.) Similiterque cum ille tum alii in aliis: quod nunc persequi longum est.

4. Imprimis diligenter et copiose de *h* littera deque aspiratione Varronem disputasse etsi satis documento sunt Cornuti Apuleiique quae perscripsimus testimonia, tamen plenius etiam idem ex aliorum scriptis grammaticorum cognoscitur. Coniunctissimum cum Apuleianis hoc est apud Velium Longum de orthogr. p. 2230: *ut testis est Varro, a Sabinis fasena dicitur, et sicut s familiariter in r transit, ita f in vicinam aspirationem mutatur.* Cui rursum proxime accedit Servianum illud in Aen. I, 172: *arena] quaeritur habeat necne nomen hoc aspirationem. et Varro sic definit: si ab ariditate dicitur, non habet, si ab haerendo, ut in fabricis videmus, habet.* Ad eundem de aspiratione locum haec pertinent Charisii I, p. 56: *pulchrum Varro aspirari debere negat, ne duabus consonantibus media intercedat aspiratio, quod minime rectum antiquis videbatur. unde et sepulcrum hodieque manet, quod sit seorsum a pulcro, propter recordationem doloris:* nam haec quoque postrema Varronianam sapere doctrinam videntur. Denique adde Charis. I, p. 62: *Graccus et ortus sine aspiratione dici debere Varro ait, et ortum quidem quod in eo omnia oriantur, Graccum autem a gerendo, quod mater eius duodecim mensibus utero eum gestaverit.* Quod testatur etiam Scaurus de orthogr. p. 2256: *negat Varro etiam Gracchus aspirandum, quoniam a gerendo sit cognominatus: matrem enim eius, qui primus Graccus sit dictus, duodecim mensibus utero eum* [vulgo *uterum*] *gessisse.*

5. Et haec quidem de aspiratione supersunt Varronianae doctrinae frustula, magna certe ex parte, nisi fallit coniectura, ex libris de origine linguae latinae petita. Indidem fortasse alia quaedam sumpta sunt ad alios locos orthographicos spectantia ab ipsisque orthographiae auctoribus tradita. Ex Papiriano Cassiodorus de orthogr. haec excerpsit, quae infra scripsimus. P. 2290: *narare per unum r scribitur, ut Varroni placet. secutus est enim etymologiam nominis eius, qua gnarus dicitur qui scit et accipit quod loqui debeat. denique compositio verbi ita scribitur, ignorare, quae non per duo r, sed per unum scribitur.* P. 2291: *traps, ab eo quod dicitur trabis, et urps per p debent scribi, licet Varro per b scribendum putet, quod in reliquis casibus b habeant.* quode plenius Varronis rationes Scaurus de orthogr. p. 2261 explicavit: *non caret quaestione etiam plebs et urbs, et Pelops: quae Varro ita distinguit, ut per b et s ea nominativo casu putet esse scribenda, quae eandem litteram genitivo reddant ut plebs plebis, urbs urbis, ea vero per p et s, quae similiter genitivo eiusdem numeri in pis excurrunt ut Pelops Pelopis.* Praeterea Velius Longus de orthogr. p. 2233: *sic etiam delirus placet Varroni, non delerus. non enim, ut quidam existimant, a Graeco tracta vox est παρὰ τὸ ληρεῖν, sed est latina* [insere *a lira i. e.*] *sulco. itaque sicuti boves, cum se a recto actu operis detorserint, delirare dicuntur, sic qui a recta via vitae ad pravam declinant, per similitudinem translationis item delirare existimantur.* Nam praeter haec extrema verba non potest non ipsa quoque explicatio Varronis esse. Postremo idem Velius p. 2236: *namque mium et commircium quoque per i antiquis relinquamus, apud quos aeque et Mircurius per i dicebatur, quod mirandarum esset rerum inventor, ut Varro dicit. nostris iam auribus* [*secus placet,*] *scilicet per e ut et Mercurius et commercia dicantur.* Sic enim redintegranda videntur, quae sic vulgantur: . . . *inventor. et Varro dicit nostris iam auribus scilicet per e, et ut M. e. c. d.* — Ceterum nihil voluimus eorum praetermittere, quae aliquo modo possent in orthographicorum societatem venire: nam talia,

qualia sunt de *delirus* et *Mircurius* disputata, sua sponte intelligitur per multarum quaestionum occasionem tractari potuisse.

§. 13.

Numerorum tam varia in artibus notio tamque multiplex usus est, ut non sit mirandum in quinque minimum disciplinis illis enucleandis elaboratum esse, in arithmetica, geometrica, musica, grammatica, rhetorica. Quocirca iam Augustinus (§. 1) in omnibus regnare numeros dixerat. Quae singularum artium mutua inter se cognatio in unam potissimum partem valuit. Nam cum e mathematicis numeris suspensae sint rationes musicae, ex his autem apti numeri poetarum carminibus adhibiti, rursum autem hi numeri cum aliquo temperamento ad orationem versibus non astrictam translati: consequitur eam artem, cui nomen impositum metricae, certo societatis vinculo et cum musica et cum grammatica et cum rhetorica contineri. Velut in arithmetica locus fuit numeris *hemiolio* et *epitrito* explicandis, de quibus Gellius XVIII, 14 disseruit ipsum fortasse Varronem respiciens: commemorat enim eos *qui de numeris latine scripserunt*, et insequenti capite alia e Varronis Disciplinarum libris metrica expromit. Rursus autem geometriae cum arithmetica affinitas, de qua multus est Marcianus VI, p 227 sq., effecit, ut etiam cum geometricis et musicae et metricae rationes compararentur. Id planissime intelligitur e valde memorabili Gellii capite 18 libri XVI, ubi *pars quaedam* ait *geometricae ὀπτικὴ appellatur, quae ad oculos pertinet: pars altera, quae ad auris, κανονικὴ vocatur, qua musici ut fundamento artis suae utuntur: utraque harum spatiis et intervallis linearum et ratione numerorum constat.* Et interposita ὀπτικῆς descriptione sic pergit: *κανονικὴ autem longitudines et altitudines vocis emetitur. longior mensura vocis ῥυθμὸς dicitur, altior μέλος. est et alia species**) *quae appellatur μετρική, per quam syllabarum*

*) κανονικῆς vulgo additum abest ab optimo codice qui est Regius, recte autem

longarum et brevium et mediocrium iunctura et modus congruens cum principiis geometriae aurium mensura examinatur. Haec autem omnia ex Varrone sumpta esse iis arguitur quae illis Gellius continuat: *sed haec, inquit M. Varro, aut omnino non discimus, aut prius desistimus quam intelligamus cur discenda sint. voluptas autem inquit vel utilitas talium disciplinarum in postprincipiis exsistit, cum perfectae absolutaeque sunt: in principiis vero ipsis, ineptae et insuaves videntur.* Quo autem modo geometricas et metricas rationes copulaverit, uno notabili exemplo docetur ab eodem Gellio XVIII, 15 prodito: *Marcus etiam Varro in libris Disciplinarum scripsit observasse sese in versu hexametro, quod omnimodo quintus semipes verbum finiret, et quod priores quinque semipedes aeque magnam vim haberent in efficiendo versu atque alii posteriores septem: idque ipsum ratione quadam* g e o m e t r i c a *fieri disserit.* Id igitur nescio an in ipso de geometria libro fecerit potius quam eo loco quo carminum numeros dedita opera explicavit.

§. 14.

Deinde autem fieri non potuit quin communi veterum consuetudine etiam in m u s i c i s metricam artem Varro attingeret. Et attigit etiam Isidorus III, c. 22, quod caput, *de musicis numeris* inscriptum, his verbis terminavit: *eiusdem musicae perfectione etiam metra consistunt in arsi et thesi, id est elevatione et positione*, coll. c. 17, 2; aliquanto autem explicatius Marcianus IX, p. 327 sqq. de *temporibus, pedibus, rhythmicis generibus metrisque* egit, non praetermissa geo-

cogitatione additur: dicitur enim metrica tertia accedere rhythmicae et ei arti quae ad *μέλος* spectat i. e. harmonicae. *geometriae* addiderat Stephanus: cui fraudi fuerat perversa in titulo capitis partitio: *de parte geometriae quae ὀπτική appellatur, et item alia quae κανονική, et tertia itidem quae dicitur μετρική.*

metricae arithmeticaeque comparatione (p. 327 ima.) Augustinus quoque e musica voluit poetarum numeros nexos esse de ord. II, 40: nam in ipsis musicae libris VI ad metricae artis pertractationem non penetravit. Quam autem musicae partitionem Cassiodorus c. 5 et Isidorus III, 17 (alios sciens taceo) proposuere, illa ut tribus partibus constaret *harmonica*, *rhythmica*, *metrica*: ea etsi videtur primo aspectu, tamen reapse non pugnat cum Varronis illa divisione, qua easdem esse partes *κανονικῆς* statuit. Nam haec si necessario pugnarent, indidem etiam illud consequeretur, ipsam musicam non peculiarem Disciplinarum librum occupasse, sed tractatam esse in geometria, cuius pars est *κανονική*. Atqui in geometria consentaneum est genus universum definitum esse, enarratam autem e compluribus eius generis formis eam tantum formam sive speciem, quam proprio nomine dictam geometriam interpretamur consueta hodieque notione: eadem autem ratione etiam ceteras formas, quae singularibus artibus materiam praebuerunt, singulis libris separatim explanatas. Quales sunt astronomia et musica, eo quidem haec magis seorsum tractanda, quod, quos e geometria locos ascivit, ei ne consummant quidem notionem musicae, sed dimidiam partem reliquam faciunt: nam *θεωρητικαὶ* sunt rhythmica, harmonica, metrica, quibus accedere *πρακτικὴν* oportet quae est *organica*. Eamque una complexum esse Varronem cum res ipsa arguit tum *tibiarum* exempla docent ex Marciano scholiastaque Horatiano supra prolata §. 6 et §. 10. Quibus iam tertium adde Servii in Aen. IX, 618: *ut enim Varro ait, tibia Phrygia dextra unum foramen habet, sinistra duo, quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem.* Quibuscum nescio an apud ipsum Varronem coniuncta fuerint quae praecedunt: *tibiae aut sarranae dicuntur, quae sunt pares et aequales habent cavernas, aut Phrygiae, quae et impares sunt et inaequales habent cavernas.* Neque organicam Isidorus in musicae enarratione praetermisit: quanquam miro sane consilio tripertitae divisioni illi eam expositionem subiicit c. 19 sqq., qua in metricae locum organica tacito substituitur.

§. 15.

Tertia, in qua numerorum aliquis usus fiebat, disciplina est rhetorica: in qua quanto studio quamque subtili diligentia syllabarum mensuras veteres magistri exegerint pedumque rationes et multiplices complexiones pensitarint, in vulgus constat. Itaque de hoc genere in rhetorica breviter praecepit Marcianus V, p. 168 sqq. Idemque Varronem fecisse ex Rufini de metris oratorum commentariolo p. 2720 P. 398 G. intelligitur: *latine de numeris hi* (scripserunt): *Cicero, Victorinus, Hieronymus, Terentianus, Varro, Probus, Charisius, Diomedes, Quintilianus, Donatus, Servius.* In quibus *Hieronymum* de Graecorum qui praecedunt societate sublatum reposuimus in *Eusebii* locum. De numeris autem prosae orationis loqui Rufinum luculentissime cum latinorum, quibus Varronem iunxit, tum Graecorum (*Thrasymachi, Gorgiae, Isocratis, Theodectae, Theophrasti,* cet.) nomina scriptorum docent, omnisque omnino illorum multitudo exemplorum e plurimis rhetoricae auctoribus excerptorum, quibus ss. testimonia Rufinus media interposuit. Contra ad poetarum numeros spectat quae Varronis in eiusdem Rufini altero commentario, qui est de metris comicis, mentio fit p. 2713 P. 387 G.: *mensuram esse in fabulis . . . . . dicunt hi: Cicero, Scaurus, Firmianus, Varro* e. q. s.: in quae verba vide quae commentati sumus Parerg. Plaut. I, p. 358 sqq.

§. 16.

Plene autem et accurate si quaeris ubi Varro poetarum metra explicaverit deditaque opera enarraverit: nec e geometrica nec e musica nec e rhetorica has disputationes nexuit, sed metricam esse partem grammaticae disciplinae voluit cum plerisque qui post eum in eodem sunt genere versati *): e quorum tamen numero et Augustinus et Marcianus eximendi: nam de Cassiodoro incomperta res,

*) Nolo exempla congerere in re confessa: concinna autem praeter reliquos

quod eius de grammatica caput mutilum in fine. Sed Isidorus sane *de metris* integrum caput I, 38, quanquam parum id fructuosum, commentariis de grammatica suis inseruit. Illud autem Varro nec in Disciplinarum libris praestitit nec, quantum iudicare e grammaticorum silentio licet, *in libris de lingua latina* ad Ciceronem, verum in eis quos *ad Marcellum* scripsit. Planissime enim hoc e Rufini priore commentario cognoscitur, quo doctrinae Varronianae praeclara frustula haec servavit. P. 379 sq. §. 6. 7 Gaisf.: *Varro in VII: clausulas quoque primum appellatas dicunt, quod clauderent sententiam, ut apud Accium: „an haec iam obliti sunt Phryges"* (immo *Bruges*). *nonnumquam ab his initium fit, ut apud Caecilium: „di boni quid hoc"; apud Terentium: „discrucior animi." Idem Varro in eodem lib. VII de lingua latina ad Marcellum sic dicit: aut in extremum senarium totidem semipedibus adiectis fiat comicus quadratus, ut hic: „heri aliquot adulescentuli coiimus in Piraeo."* Eidem igitur septimo ad Marcellum libro etiam haec non haesitanter tribues p. 378 sq. §. 2. 3: *Diomedes sic: septenarium versum Varro fieri dicit hoc modo: Cum ad iambum trisyllabus pes additur et fit tale: „quid immerentibus noces, quid invides amicis." similiter in Terentio versus est: „nam si remittant quippiam Philumenae dolores." et in*

---

brevitate Seneca epist. 88 init.: *grammaticus circa curam sermonis versatur, et si latius evagari vult, circa historias; iam ut longissime fines suos proferat, circa carmina.* Quae mox sic interpretatur: *syllabarum enarratio et verborum diligentia, et fabularum memoria, et versuum lex et modificatio.* Nec aliud Quintilianus spectat, *recte loquendi scientiae et poetarum enarrationi musicen* iungens I, c. 4, *citra quam non posse perfectam esse grammaticen, cum ei de metris rhythmisque dicendum sit.* Quibus addenda sunt quae de grammatica musicae sive consociata sive subiecta persequitur I, 10, 17 sq. Contra Marcianus quam voluerit a grammatica diremptam esse metricam, his verbis testantem facit Minervam III, p. 93: *nam si rhythmicum quid metricumque . . . . assumpseris, profecto Musices impetu, cuius praevertis officium, discerperis* (Grammatica).

Plauto saepe tales reperiuntur. Varro de lingua latina ad Marcellum sic: quare in huiusmodi locis poni oportet notam in transversum inter syllabas, frequentius ad extremum versum senarium et similes, si pro longa brevem habebunt, ut in hoc: „amicus summus meus et popularis Geta." Charisius sic: septenarium versum fieri dicit Varro hoc modo, cum ad iambum trisyllabus pes additur: ut praefatum est. Vix videtur dubitari posse, quin ex eodem Varronis libro, cui nominatim commemorato sua Rufinus debet, etiam Diomedea et Charisiana petita sint, quibus propter ipsam argumenti propinquitatem sua excerpta ille interposuit, sive ipse Varronis libros tractavit sive ab alio, qui tractarat, item mutuatus est. Sed quo vinculo Diomedis cum Rufini testimonio continebatur, id ipsum recisum est. Non potest enim non hic esse utriusque nexus, ut a modo, quo septenarius fieret e senario, transiretur ad talium septenariorum commemorationem, quorum media syllaba brevis haberetur: qualium constat non minorem esse multitudinem quam quorum media syllaba admisit hiatum. *In huiusmodi* igitur *locis* h. e. cum in mediis septenariis tum ubicunque brevis est pro longa syllaba, ut in extremis versibus arsi terminatis, Varro poni iussit eandem notam metricam, qua in mediis quidem versibus (quando in extremis inutile) ad notandum hiatum reperimus etiam Godofredum Hermannum usum. Quam notam non memini a σημείων interpretibus explicari. Ab illo autem Diomedis testimonio, quod est p. 514 P. 499, §. 51 G., proficisci licet, ut ad eundem Varronis librum ea quae illis continuantur referamus: quibus quae ab ipso Diomede admisceantur, facile unusquisque dignoscet. Sic igitur ille pergit §. 52: *Octonarius est, ut Varro dicit, cum duo iambi pedes iambico metro praeponuntur et fit versus talis: „pater meus dicens docendo qui docet dicit docens." tolle hinc primos duos iambos, et erit tale quale illud est: „ibis Liburnis inter alta navium."* §. 53: *Trimeter herous ex superiore hexametro* *) *fit ut diximus: sed hoc*

*) Vulgatur *ex superiore iambico*, qui error solo casu irrepsit. Dixerat enim

Varro ab Archilocho *) *auctum dicit adiuncta syllaba et factum tale: „omnipotente parente meo." huic si auferas ultimam syllabam, erunt tales tres pedes, quos prior pars hexametri recipere consuevit.* §. 54: *Archilochium Varro illud dicit quod est tale: „ex littoribus properantes navibus recedunt." hic superius comma quod est tale „ex littoribus properantes" simile est illi „Troiae qui primus ab oris"; inferius comma quod est tale „navibus recedunt" simile est illi quod est tale „machinae carinae."* — Et haec quidem exempla Varronem auctorem aperte testantur: habent haud dubie sine testimonio alia, quae persimilia vel praecedunt vel sequuntur. In quorum tamen numerum vix venit hoc quod subiicitur §. 55: *Dimetrum quoque, quod est ex superiore parte hexametri, Archilochium una syllaba auxit et fecit tale: „vult tibi Timocles".* Nam etsi sic scriptum in suis codicibus invenit Gaisfordius, tamen nec Archilochium illud ipsum dimetrum supra dictum est p. 494 §. 32 (ubi duo exempla sunt, non unum: *scribenti mihi* ‖ *praemonstra dea*), et offendit collocatio verborum: quare nescio an praestet editorum scriptura exemplorum *Archilochus*, praesertim cum insequantur haec §. 56: *dimetrum* *et illud, quod est ex inferiore parte hexametri, Archilochus auxit* e. q. s. Alia tamen ratio horum §. 65: *Iambico novum carmen refert Varro, cuius exemplum est tale: „pedem rhythmumque finit."* Hic facile quispiam cogitet de metri genere quo ipse Varro usus sit in satiris, modo *effert* scribatur pro *refert*: et in eo sane est Diomedes, ut novas versuum formas a quibusdam poetis excogitatas percenseat; verumtamen cum praeter hoc exemplum Sereni et Arbitri poetarum mentione se contineat, teneat autem in reliquis omnibus hoc loquendi genus *fecit tale*, tutissimum fuerit illa in hanc potius partem inter-

*) p. 494 §. 33: *sic et trimetrum ex superiore parte hexametri tale: „Musae Pierides novem."* — At vero eum versum cum minime tribuerit Archilocho, ne hic quidem una syllaba auctiorem potuit *ab Archilochio auctum* dicere, id quod editur, sed auctum *ab Archilocho* potuit.

pretari, ut ad iambicum genus (*iambico*) rursus alium versum (*novum carmen*, nondum commemoratum) referre Varro dicatur. Sine controversia autem ad Varronis de metris commentarium illa pertinent p. 496 §. 40: *Varro dicit inter rhythmum, qui latine numerus vocatur, et metrum hoc interesse, quod inter materiam et regulam.* Quocum componenda Marii Victorini memoria item ad generis descriptionem pertinens p. 2498 P. 72 G.: *versus est, ut Varroni placet, verborum iunctura, quae per articulos et commata ac rhythmos modulatur in pedes.* Nam etsi haec quidem potuerunt sane etiam in Disciplinarum libro I, quo grammatica tractabatur, locum habere, tamen, si modo liber VII (idem ut videtur ultimus) ad Marcellum destinatus erat metrorum doctrinae enarrandae, et facile perspicitur non potuisse eum notionum definitionibus carere, et magnam profecto vim illud habet quod hunc librum tot testimoniis novimus, alterum nescimus a metricis scriptoribus usurpatum Diomede et Rufino: nam Victorini sane paullo alia condicio, cf. §. 3, 2. Postremo, quoniam cum metrorum disciplina cognata est de προσῳδίαις doctrina, fortasse hanc quoque in illis ad Marcellum libris Varro attigit, quando id in libris ad Ciceronem factum esse ne levissimo quidem indicio colligitur. Quod si ita se habuit, non immerito huc rettuleris Gellii XVIII, 12 verba: *Varro in libris quos ad Marcellum de lingua latina fecit: in priore verbo graves prosodiae, quae fuerunt, manent, reliqua mutant.*

§. 17.

Transeundum est ad geometriam, de qua scitu perdigna quaedam restant. Eam disciplinam divisam esse ὀπτικῇ et κανονικῇ supra vidimus §. 13, ubi quas partes κανονικὴ habuerit, ex allatis Gelliani capitis XVI, 18 verbis intellectum est. Opticam autem, qua locus ille geometriae universus comprehenditur qui non ad aures, sed *ad oculos pertinet*, ibidem non item per partes suas descriptam reperimus, sed potius *lepida quaedam memoratu et cognitu* (ut est in

praemisso argumento capitis) ex ea delibata. Sunt autem, ex Varrone ut apparet excerpta, haec: ὀπτικὴ *facit multa demiranda id genus, ut in speculo uno imagines unius rei plures appareant: item ut speculum in loco certo positum nihil imaginet, aliorsum translatum faciat imagines: item, si rectus speculum spectes, imago tua fiat huiusmodi, ut caput deorsum videatur, pedes sursum. reddit etiam caussas ea disciplina, cur istae quoque visiones fallant, ut, quae in aqua conspiciuntur, maiora ad oculos fiant, quae procul ab oculis sunt, minora.* Et haec quidem ad eam opticam pertinent, quam hac appellatione nos quoque hodie vocitamus. A Varroniana autem ὀπτικῆς notione non alieniora ea sunt, quae proprio nomine dictae geometriae a nobis tribuuntur ad lineas et figuras spectantia. Eius rei luculento documento est Gellii caput 20 libri I, cuius multo plura ex Varrone petita esse persuasum habemus, quam quae ad eum nominatim referuntur. Quod quidem ipsa ratio planum facit, qua Varronis testimonium cum reliqua disputatione ita connectitur, ut ne posse quidem utraque pars certis finibus dirimi videatur: quo accedit, quod Gellium satis iam comperimus Disciplinarum libros suis oculis usurpasse ex iisque non pauca alia vel tacito vel nominatim deprompsisse. Simul autem ex illo capite commode cum hoc perspicitur, qua partitione ὀπτικὴ sit in ἐπιπεδομετρίαν (vel ἰχνογραφίαν) et στερεομετρίαν divisa, quam partitionem etiam Marcianus novit VI, p. 228, tum qua ratione geometricae cum arithmeticis rationibus copulari sint solitae. En igitur integrum caput. „*Figurarum quae* σχήματα *geometrae appellant, genera sunt duo, planum et solidum. haec ipsi vocant* ἐπίπεδον *et* στερεόν. *planum est quod in duas partis solum lineas habet, qua latum est et qua longum: qualia sunt triquetra et quadrata quae in area fiunt sine altitudine. solidum est, quando non longitudines modo et latitudines planas numeri linearum efficiunt, sed etiam extollunt altitudines: quales sunt ferme metae triangulae quas pyramidas appellant, vel qualia sunt quadrata undique quae* κύβους *illi, nos quadrantalia dicimus.* κύβος *enim est figura ex omni latere quadrata,*

quales sunt, inquit M. Varro, tesserae quibus in alveolo luditur, ex quo ipsae quoque appellatae κύβοι. in numeris etiam similiter κύβος dicitur, cum omne latus eiusdem numeri aequabiliter in sese solvitur, sicuti fit cum ter terna ducuntur atque idem ipse numerus triplicatur. huius numeri cubum Pythagoras vim habere lunaris circuli dixit, quod et luna orbem suum lustret septem et viginti diebus, qui numerus ternio, qui graece dicitur τριάς, tantundem efficiat in cubo. linea autem a nostris dicitur, quam γραμμὴν Graeci nominant. eam M. Varro ita definit: linea est, inquit, longitudo quaedam sine latitudine et altitudine. Euclides autem brevius praetermissa altitudine γραμμὴ est, inquit, μῆκος ἀπλατές" e. q. s. Euclidem, qui tamen ab ipso potest Varrone commemoratus esse, sequitur Marcianus p. 228.

§. 18.

Sed his omnibus tantum abest ut vis et notio geometriae Varronianae consummetur, iis ut tantum praecepta artis h. e. caussae et principia e mathematicis rationibus repetita contineantur, quibus accessit pars πρακτικὴ ad vitae usum spectans, eaque rursum bifariam divisa. Ab ipsa enim vocabuli origine profectus geometriam Varro definiit terrae metiendae disciplinam: qua notione agris sive privatis sive publicis dimetiendis adhibita fit agrimensorum ars g r o m a t i c a (quam cum *formis geometricis* etiam Cassiodorus Var. III, 52 sociat), ad terras universas orbemque adeo terrarum traducta nascitur g e o g r a p h i a. Ad utramque disciplinam Varronem voluisse suam geometriam pertinere primum perspicitur e communi Cassiodori c. 6 p. 558 a et Pseudo-Boethii p. 1229 hoc testimonio: *Sed Varro peritissimus latinorum huius nominis caussam sic exstitisse commemorat, dicens prius quidem dimensiones* (*homines dim.* Cass.) *terrarum terminis positis, vagantibus ac discordantibus populis* (*vag. pop.* Cass.) *pacis utilia praestitisse: deinde totius anni circulum menstruali* (*mensuali*

Boeth.) *numero fuisse partitum* (*partitos* Cass.*), *unde* (*tunc* Bo.) *et ipsi menses, quod annum metiantur* (*metiuntur* Bo.), *dicti sunt. verum postquam ista reperta sunt, provocati studiosi ad illa invisibilia cognoscenda coeperunt quaerere, quanto spatio a terra luna, a luna sol ipse distaret, et usque ad verticem caeli quanta se mensura distenderet: quod peritissimos geometras assecutos esse commemorat.* (*verum — commemorat* om. Bo.) *tunc et dimensionem orbis terrae* (*dim. universae terrae* Ca.) *probabili refert ratione collectam: ideoque* (*ideo* Bo.) *factum est ut disciplina ipsa geometriae nomen acciperet, quod per saecula longa custodit* (*constaret* Bo.). Varronis igitur exemplum Marcianus imitatus non tantum haec pronuntiantem facit Geometriam VI, p. 192: *Geometria dicor, quod permeatam crebro admensamque tellurem eiusque figuram, magnitudinem, locum, partes et stadia possim cum suis rationibus explicare, neque ulla sit in totius terrae diversitate partitio, quam non memoris cursu descriptionis absolvam:* sed in ipsa geometriae enarratione ita versatur, ut a p. 192 ad 227 geographicas rationes universi orbis terrarum persequatur, ac tum demum, *exposita terrae aequorumque mensura, ad artis praecepta veniat,* ut ipse ait p. 227 (coll. p. 192: *ac demum cetera astruendae praecepta artis aperire*), h. e. ad linearum figurarumque definitiones. Quanquam quod in priore parte bis ipsius mentionem Varronis fecit p. 205. 214, id nullam huc vim habet propterea quod et haec duo testimonia et geographica sua tantum non omnia Plinio maiori (vel Solino) debet, cuius vide III, 5, (6), 45 et IV, 12, (24), 77. Alia Isidoro cum Varrone ratio intercedit. Is enim et geographiam sane et gromaticam, quam non attigit Marcianus, complexus, utramque tamen ab ipsius geometriae enarratione longo intervallo diremptam libris demum XIV et XV (ubi a cap. 13 agitur *de agris, de finibus agrorum, de mensuris agrorum*) Originum persecutus est. Itaque quaerere licet num

---

*) Voluisse Cassiodorus videtur: ***prius quidem per dimensiones homines terrarum terminis positis . . . . praestitisse, deinde . . . . fuisse partitos.***

forte in Varronis gromaticis locus etiam his fuerit Orig. XV, 13, 6, quae e Servianis in Georg. I init. emendata ascripsimus: *omnis autem ager, ut Varro docet, quadrifariam dividitur. aut enim arvus est ager id est sationalis, aut consitivus id est aptus arboribus, aut pascuus qui herbis tantum et animalibus vacat, aut floridus in quo sunt horti* (immo *orti* secundum Varronem) *apibus congruentes.* Quae sane ad libros de re rustica sine ulla dubitatione referremus, nisi hi superstites essent. Sed hoc quomodocunque se habet, certo e gromatica parte geometriae illud caput Varronianum petitum erat, cuius nunc inscriptionem tantum in agrimensorum collectione superstitem esse §. 5 vidimus. Frontiniano autem testimonio ibidem allato addere alterum licet e p. 215 Goes.: *limitum prima origo, sicut Varro descripsit, ad disciplinam aruspicam* (codd. *rusticam*; an *aruspicinam?*) *noscitur pertinere, quod aruspices orbem terrarum in duas partes diviserunt* . . . et quae sequuntur magna fortasse ex parte ad ipsius Varronis exemplum disputata.

§. 19.

1. Quod autem universam terrarum descriptionem (h. e. *γεωμετρίαν τῆς οἰκουμένης* *) Varronis *de geometria* libro comprehensam esse intelleximus, inde nova lux obscurae admodum quaestioni affulget. Etenim cum non mediocris multitudo esset fragmentorum Varronianorum ad g e o g r a p h i a e explicationem pertinentium, identidem quaesitum est, quibus tandem hanc libris tractasset. Nam *Rerum humanarum* etsi sex integri libri, ab VIII ad XIII, fuerunt *de locis*, tamen hos non ad exteras terras quaslibet patuisse Augustino credendum est de civ. dei VI, 4: *rerum quippe humanarum libros non quantum ad orbem terrarum, sed quantum ad solam Romam pertinent,*

*) Sic enim Protagorae geographi liber inscriptus erat teste Photio Bibl. c. 188 coll. B. Fabricio in Mus. philol. II, p. 372.

scripsit (non *quantum ad solam Italiam*, quod Krahnerus l. ss. p. 23 posuit.) Exstiterunt praeterea *Ephemeridos navalis* ad Pompeium libri Varronis: de quibus non levia quaedam enucleanda restant etiam post doctas curas Krahneri p. 18 sqq. et Bergkii in Mus. philol. Rhen. nov. I, p. 367 sqq., quem ne noverat quidem eosdem nuper commentarios leviter tangens Oehlerus Sat. Varr. p. 64 Ab his autem libris alienissimam totius orbis terrarum descriptionem fuisse, satis ex ipso scriptoris consilio apparet, quippe quem sciamus librum illum Cn. Pompeio per Hispanias militaturo scripsisse teste Itinerario Alex. M. c. 6. Quae cum ita essent, nescire se fassus est Krahnerus p. 23, ubi tandem posita fuissent fragmenta a Plinio potissimum servata, quae ad externarum urbium, gentium, regionum, viarum cognitionem pertinerent. Eis nunc locus inventus est in g e o m e t r i a. Vnde primum non dubitamus Gellianam memoriam repetere X, 7: *Varro autem cum de parte orbis, quae Europa dicitur, dissereret, in tribus primis eius terrae fluminibus Rhodanum esse ponit.* Quo tamen minime pertinent *Varronis in Europa* verba a Festo p. 381 M. allata *tutum sub sede fuissent*, quae extrema sunt hexametri, petita autem e P. V a r r o n i s A t a c i n i Chorographia sive Cosmographia, ut post Ruhnkenium Epist. crit. II, p. 200 perspexit Wuellnerus p. 23. Cf. Hertzium de Cinciis p. 37. Memorabile est enim, triplici exemplo Reatini imitationem apparere in Atacino: Cosmographiae, Ephemeridos, de qua dixit Bergkius l. ss., et Satirarum, si modo fides Horatiano scholiastae in Serm. I, 10, 46.

2. Omnium autem maxime Varronis geographicis P l i n i u s usus est in Naturali historia, iis quidem libris quibus contineri voluit *situs, gentes, maria, oppida, portus, montes, flumina, mensuras, populos qui sunt aut fuerunt*, h. e. a tertio ad sextum. Eorum igitur ordinem librorum in excerpendis Varronianis testimoniis nos quoque sequimur, ascriptis praeter librorum capitumque numeros paragraphis Silligianis. Plin. III, 1, §. 8: *In universam Hispaniam M. Varro pervenisse Iberos et Persas et Phoenicas Celtasque et Poenos tradit:*

lusum enim [*etiam?*] *Liberi patris aut λύσσαν cum eo bacchantium nomen dedisse Lusitaniae, et Pana praefectum eius universae:* de quorum scriptura cf. Silligium. — III, 5, 45 (cf. Marcian. p. 205): *Abest* (Italia) *a circumdatis terris Istria ac Liburnia quibusdam locis centena M. pass., ab Epiro et Illyrico quinquaginta, ab Africa minus cc ut auctor est M. Varro, ab Sardinia cxx M., ab Sicilia M. ccccc, a Corsica minus lxxx, ab Issa quinquaginta.* — III, 10, 95: *Patet* (Magna Graecia) *octoginta sex M. pass., ut auctor est Varro; plerique lxxv M. fecere.* — III, 12, 109 (cf. Solin. c. 2 med.): *In agro Reatino Cutiliae lacum, in quo fluctuet insula* (cf. de l. lat. V, §. 71), *Italiae umbilicum esse M. Varro tradit.* — III, 22, 142: *Narona colonia tertii conventus . . . : M. Varro lxxxix civitates eo ventitasse auctor est.* — IV, 12, 62 (cf. Solin. c. 7 med., Isid. XIV, 6, 18): *Ex hac* (Co) *profectam delicatiorem feminis vestem auctor est Varro.* — IV, 12, 66: (Delum insulam) *ad M. Varronis aetatem Mucianus prodidit bis concussam.* Legerat igitur hoc apud Varronem Licinius Mucianus: casu autem factum, ut ex hoc, non ex ipso Varrone excerptum haberet Plinius. — IV, 12, 77 (cf. Marcian. p. 214): *Inter duos Bosporos Thracium et Cimmerium directo cursu, ut auctor est Polybius, d. M. pass. intersunt; circuitu vero totius Ponti vicies semel centena quinquaginta M. ut auctor est Varro et fere veteres.* Ibidem: *M. Varro ad hunc modum metitur: ab ostio Ponti Apolloniam clxxxvii M. d. pass., Calatin tantundem, ad ostium Istri cxxv, ad Borysthenem ccl, Cherronesum Heracleotarum oppidum ccclxxv M. pass., ad Panticapaeum, quod alibi Bosporum vocant, extremum in Europae ora, ccxxii M. d.: quae summa efficit tredecies centena et triginta septem M. d.* — IV, 21, 115: *Ab Minio quem supra diximus, cc. M. pass., ut auctor est Varro, abest Aeminius.* — Ibidem: *Ab eo* (Tago) *clx M. pass. promontorium Sacrum e media prope Hispaniae fronte prosilit, xiv centena millia pass. Inde ad Pyrenaeum, medium colligi Varro tradit.* — VI, 13, 38: *At ubi coepit* (Caspium mare) *in latitudinem pandi, lunatis obliquatur*

cornibus velut ad Maeotium lacum ab ore descendens, silicis ut auctor est M. Varro similitudine. — VI, 17, 51 (cf. Solin. c. 19): *Haustum ipsius maris* (Scythici) *dulcem esse et Alexander Magnus prodidit, et M. Varro talem perlatum Pompeio iuxta res gerenti Mithridatico bello, magnitudine haud dubie influentium amnium victo sale. Adiicit idem Pompeii ductu exploratum, in Bactros septem diebus ex India perveniri ad Icarum flumen quod in Oxum influat, et ex eo per Caspium in Cyrum subvectas quinque non amplius dierum terreno itinere ad Phasin in Pontum Indicas posse devehi merces.* — Vno in conspectu posuimus omnia: quorum alia aliis esse incertiora apparet. Certa sunt, quibus mensurae traduntur; dubia longe pauciora haec: III, 12. III, 22. IV, 12, 62 et 66. Quae mox significabitur quam multiplices sedes potuerint in Varronianorum varietate scriptorum habere. E quo genere etiam hoc est, quod de *vestibus Cois* percommode dici in libris *de vita populi Romani* potuit. — Ceterum numerorum quorundam emendationem aperte corruptorum in Plinianis testimoniis sciens nunc praetermisi.

3. Plinianorum multitudinem facile putet quispiam e Solini Polyhistore augeri posse, in quo Varronis mentionem his locis habes. Cap. 11 fin.: *Vult Varro Icarum Cretem ibi* (ad Icarum insulam) *naufragio interisse et de exitu hominis impositum nomen loco;* — c. 27 init.: *auctor est Varro perflabilem ibi* (ad Africae oram) *terram ventis penetrantibus subita vi* (vulgo *subitam vim*) *spiritus citissime aut revomere maria aut resorbere;* — c. 33, init.: . . . *rubrum mare, quod Erythraeum ab Erythra rege Persei et Andromedae filio, non solum a colore appellatum Varro dicit, qui affirmat in littore maris istius fontem esse, quem si oves biberint, mutent vellerum qualitatem et antea candidae amittant quem habuerint* [*amittant quod fecerint* vulgo] *usque ad haustum ac furvo postmodum nigrescant colore.* Ac de primo horum testimoniorum non intercedo, de altero et tertio valde anceps esse iudicium sentio. Nam quae de ventis maribusque orae Africae traduntur, ea haud scio an *de littoralibus* po-

tius sive libro sive libris Varronis debere Solinus eo probabilius credatur, quod eum librum alibi ipse commemoravit, c. 11: *Varro in opere, quod de littoralibus est, etiam suis temporibus affirmat sepulcrum Iovis ibi visitatum.* Quae cur in littoralibus locum invenerint, colligi ex iis quae praecedunt potest: *albet* (Creta) *iugis montium Dictynnaei et Cadisti, qui ita excandescunt ut eminus navigantes magis putent nubila. praeter ceteros Ida est, qui ante solis ortum solem videt.* Quod autem libros *de littoralibus*, *de ora maritima*, *de aestuariis* Krahnerus p. 18, quocum convenit Merkelio prolus. in Ovid. Ib. p. 361, coniecit singulas partes fuisse unius operis Varroniani, quod esse *ephemeridem navalem ad Pompeium* voluit: id credibile non est. Nec enim illa, quae sunt de Ida Cretensi, commode perspicitur quomodo ad Pompeii rationes pertinuerint in Hispania militaturi: et hoc ut concedam potuisse fieri, repugnant profecto vel certe prorsus dissuadent illa ipsa Solini verba *in opere quod de litteralibus est.* Sed non diversos esse de littoralibus et de ora maritima libros (*de ora mar. librum I* affert Servius in Aen. I, 111), id vero res ipsa suadet ut credamus. — Tertium autem Solini testimonium Varronianum etsi potest e geometria depromptum esse, tamen dubitare licet num ibi tam singularibus rebus memorandis locum concesserit, qualia sunt de ovium velleribus fontis haustu mutatis. Ac fortasse haec quoque ex Littoralibus repetat, qui fontem istum in littore maris esse dici reputaverit. Verum etiam alia ratio in promptu est, de qua paullo explicatius dicendum. Afferuntur enim cum a Solino tum a Plinio iis libris, qui dicati sunt medicinae explicandae, non pauca Varroniana communi vinculo hoc cognata, quod in mirabili vi perniciosaque plerumque efficacia locorum, fontium potissimum et aquarum versantur. Ea cum non sane abhorreant ab ipsius notione usuque medicinae, tamen nisi mea me coniectura fallit, posita fuerunt omnia in eo logistorico qui inscribitur *Gallus Fundanius de admirandis*, Aristotelis exemplo ceterorumque παραδοξογράφων, qui περὶ θαυμάτων vel θαυμασίων vel θαυμαζομένων. Huius enim argumentum

logistorici ad utramque quam dixi partem pertinuisse, coniunctis inter se duobus apud Nonium p. 216 et 71 exemplis planissime efficitur: *secundo de stativis aquis, ut sunt lacus et stagna et putei et maria: — vinum, quod ibi natum sit in quodam loco, si praegnans biberit, fieri ut aboriatur.* Cum his igitur haec compone tam hercle finitima ut nihil supra. Plinii XXXI, 2, 15: *In Cilicia apud oppidum Cescum rivus fluit Nus, ex quo bibentium subtiliores sensus fieri M. Varro tradit; at in Ceo insula fontem esse quo hebetes fiant, Zamae in Africa quo canorae voces.* — Ibid. §. 21: *Caelius apud nos in Averno ait etiam folia subsidere, Varro aves quae advolaverint emori.* — Ibid. §. 27: *Varro ad Soracten in fonte, cuius sit latitudo quattuor pedum; sole exoriente eum exundare ferventi similem; aves quae degustaverint iuxta mortuas iacere.* — Quo nescio an addenda sint, quae utique potuerunt in ipsa medicina memorari, ex §. 9 haec: *Idem* (ut calculosis aqua medeatur) *contingit in Velino lacu potantibus; item in Syriae fonte iuxta Taurum montem* [*ut*] *auctor est M. Varro.* Sed confidenter adde ex Solini, ad quem iam revertitur disputatio, cap. 7 haec: *Varro perhibet fontem in Arcadia esse cuius interimat haustus:* et inferius: *Varro opinatur duo in Boeotia esse flumina* (cf. Plin. II, 103, 230) *natura licet dispari,* m i r a c u l o *tamen non discrepante, quorum alterum si ovillum pecus debibat, pullum fieri colorem quem habuerit* [*coloris quod induerit* vulgo], *alterius haustu, quaecunque vellerum fusca sunt, in candidum verti. addit videri ibi puteum pestilentem, cuius liquor mors est haurientibus.* Vbi ad librum de admirandis (vel de miris) non ambigue ipsum videtur *miraculum* vocabulum spectare. — Ceterum cum in Admirandis praeter aquas etiam bestiarum mentio facta sit, ut *glirium* apud Charisium p. 69. 106, *perdicum* apud Nonium p. 218, *muraenarum* Macrobii Saturn. II, 11: indidem Plinius videri potest haec sumpsisse VIII, 29, 104: *M. Varro auctor est a cuniculis suffossum in Hispania oppidum, a talpis in Thessalia, ab ranis civitatem in Gallia pulsam, ab locustis in Africa, ex Gyaro Cycladum insula incolas a*

muribus fugatos, in Italia Amyclas a serpentibus deletas. — Alia fortasse suppeditat Valerii Maximi *de miraculis* caput I, 8.

4. Magis obnoxia dubitationi, quam quae ad reliquas terras pertinent, ea sunt Varronis fragmenta geographica quae ad ipsam Italiam spectant: e quorum numero fuit etiam Plinii illud e III, 12, 109. *) Nam etsi in *Rerum humanarum* libris de locis eatenus tantum dictum esse, quatenus ad Romam, Augustinus testatur, tamen recte hoc Krahnerus l. ss. videtur in eam partem interpretari, ut etiam ad Italiam patere existimetur. Docent enim hoc ea quae ex Rer. hum. libris VIII ad XIII forte servata sunt: velut non ad Romam profecto, sed ad Italiam pertinent quae de *septem iuxta Rhegium fluviis* ex lib. X Probus profert in Bucolic. init., vel quae ex XI Macrobius Sat II, 12: *ad victum optima fert ager Campanus frumentum, Falernus vinum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel Tarentinus, piscem Tiberis.* Haec igitur si non aliena fuerunt a Rerum humanarum libris, multo etiam minus aliena talia putabimus quae ad eos locos populosve Italiae spectant, qui ipsius historiae vinculo cum Romae Latinaeque gentis antiquitatibus continentur. Qualia sunt de *Latio* deque *Oenotria* prodita apud Servium in Aen. VIII, 322. I, 532; vel de *Sabinis* apud Festum p. 343: atque persuadet imprimis, quod, quemadmodum ad etymologiam quae sunt de Latio et Sabinis spectant, ita ipsius *Italiae* nominis stirpem in antiquitatibus rerum humanarum Varro explicasse dicitur a Gellio XI, 1. Nec quae idem ille Servius habet in Aen. I, 246 et Georg. II, 201. Aen. VII, 712 de *Timavo fluvio* deque *lacu Velino,* geometriae ausim cum aliqua confi-

---

*) *Vmbilicum Italiae* lacum Cutiliensem apparet non minus commode in Italiae descriptione (h. e. in Rerum hum. libris), quam in Geometria dici potuisse; de lacu, *in quo fluctuet insula,* non minus commode, quam de aliis lacubus, in Admirandis. — Contra quae supra exprompsimus Pliniana III, 5, 45 et III, 10, 95, ea quippe in intervallorum dimensionibus versantia geometriae imprimis apta sunt.

dentia tribuere: nec haec, in Aen. VII, 563: *sciendum sane Varronem enumerare quot loca in Italia sint huiusmodi*: nec quae de *Baiis* in IX, 710, de *Caere* Schol. Veron. in X, 183: et si quae sunt id genus alia. Paullo probabilior res, sed paullo, de *Circeio* et *Eryce montibus* apud eundem in Aen. III, 386. V, 411. Praeterea non est negligendum, de locis non potuisse omnino taceri in eis Rer. hum. libris, qui erant *de hominibus* h. e. lib. II ad VII: quo non incommode illud ipsum Servii de *Oenotro rege* testimonium Krahnerus p. 17 rettulit, minus autem probabiliter quae de *Massiliensibus trilinguibus* Isidorus XV, 1, 63 cum schol. Lucan. III, 339 excerpsit. Contra pertinet huc praeclarum Macrobii Sat. I, 7 (coll. Lactant. Div. inst. I, 21) fragmentum de *Pelasgis in Latium advectis*; pertinent fortasse etiam quae de *Phoco Corsicae et Sardiniae rege* Servius in Aen. V, 824, de *Aeolo rege* idem in I, 52 (coll. Isidor. XIV, 6, 36) e Varrone tradit, nisi *Aeolias insulas* maluisse eum in locis commemorare putabimus. Denique ne *de temporibus* quidem disputans, id quod fecit a XIV ad XIX librum, nec in quattuor *de gente populi Romani* libris non potuit similia quaedam attingere. — His igitur omnibus ut vel alienis vel ambiguis hinc seclusis perpauca restant geographica, quae Plinianis supra compositis aliquo iure addi videantur: velut quod Lactantius posuit Div. inst. I, 17: *Insulam Samum scribit Varro prius Partheniam nominatam, quod ibi Iuno adoleverit ibique etiam Iovi nupserit.* Aliquanto incertior res de *Libya* λειπούσῃ τοῦ ὕειν ap. Serv. in Aen. I, 22. Sed de his satis.

§. 20.

Geometriae notio quemadmodum una ex parte in terrae rationes geographicas patuit, ita eadem ad mundum, caelum, sidera tralata genuit ex se astronomiam vel ut Varroni appellata est a s t r o l o g i a m. Cuius similis cum musica condicio, quod, quanquam pars geometriae, tamen seorsum est ut peculiaris disciplina pertractata. Astronomiae

autem ex geometria, cuius *germanam* dixit Marcianus VI, p. 190, originem non Quintilianus tantum profitetur cum Cassiodoro §. 2 commemoratus, sed uberius ipse Varro explicavit iis verbis quae e Boethio Cassiodoroque §. 18 perscripsimus. Quae si sequimur, nec anni metiendi rationes a sua geometria Varro exclusit, sed de temporibus in astronomia quoque, ut in Rerum humanarum libris, commentatus est: quanquam id genus potuit strictim percurrere. Nec invenio quod e fragmentis ad anni, mensium, dierum vel naturales vel civiles rationes spectantibus (cf. Censorin. c. 22) Disciplinarum potius quam Antiquitatium libris cum aliqua probabilitate tribuam, praeter unum fortasse hoc: *Ait enim* (Varro) *apud Aegyptios pro annis menses haberi, ut non solis per XII signa circuitus faciat annum, sed luna quae orbem illum signiferum XXX dierum spatio illustrat:* quae habes Lactantii Div. inst. II, 12. Quanquam his si reputaveris Varronem *argumentari nixum esse cur putarentur antiqui mille annos victitasse*, nescio an non minus commode ad eas quaestiones illa referantur, quas de *vitae aetatibus humanae* instituisse Varronem vere Krahnerus p. 26 disputat. Non uno in loco, sat commode autem in astronomia *caelum* potuit a *caelato* ducere, id quod eum fecisse Plinius eo libro testatur quo *de mundo et elementis* ipse exposuit, h. e. II, 4, 9. Itaque eodem pertinet fortasse Isidori memoria item eo libro prodita quem fecit de *mundo, elementis, caelo* similibusque rebus, XIII, 1, 2: *unde et animalia Varroni videntur elementa, quoniam per semet ipsa, inquit, moventur.* Dubia magis res de eiusdem testimonio VIII, 6, 21: *unde et Varro ignem mundi animum dicit, proinde quod in mundo ignis omnia gubernet sicut animus in nobis: . . . qui cum est, inquit, in nobis, ipsi sumus, cum exiit, emorimur.* *)

*) Sed *mundi figuram cum longae rotunditati comparavit in geometriae volumine* teste Cassiodoro (§. 5), *mundum* solam est tellurem interpretatus. In eademque geometria, non in astrologia, lunarem esse circuitum XXVII dierum spatio definitum supra vidimus §. 7 et §. 17: cuius rei caussa, quod ibi a cubi notione geometrici exorsus ad cubicum numerum XXVII Varro pervenit.

2. Nec plus habeo de architectura quod dicam. Nisi forte hinc depromptum est quod exstat apud Servium in Aen. VI, 273: *vestibulum, ut Varro dicit, etymologiae non habet proprietatem, sed fit pro captu ingenii.* Nec certior de Plinianis testimoniis coniectura, quibus de dispari lapidum natura sic praecepit XXXVI, 18, 135: *Varro nigros ex Africa firmiores esse tradit quam in Italia: e diverso albos tornis duriores quam Parios. idem Lunensem silicem serra secari, at Tusculanum dissilire igni: Sabinum fuscum addito oleo etiam lucere.* Et XXXVI, 5, 14: *quem lapidem* (Parium) *coepere lychniten appellare, quoniam ad lucernam in cuniculis caederetur, ut auctor est Varro.* Varroni num quid Isidorus acceptum referat in capite 2 libri XV, quod est *de aedificiis publicis*, incompertum.

§. 21.

1. Superest ut medicinae paucula frusta ex Plinii eis libris colligamus, quibus materiam medicam complexus est vel ex herbis (lib. XX—XXVII) vel ex animalibus (XXVIII—XXXII) quaesitam. Et ad historiam quidem medicae artis duo spectant testimonia, XXIX, 1, 4: *Is* (Hippocrates) *cum fuisset mos liberatos morbis scribere in templo eius dei* (Aesculapii) *quid auxiliatum esset, ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur, atque, ut Varro apud nos credit, templo cremato instituisse medicinam hanc quae clinice vocatur.* Alterum XXVI, 3, 14: *Trahebat praeterea* (Asclepiades Prusensis) *mentes artificio mirabili, vinum promittendo aegris dandoque tempestive, tum frigidam aquam. et quoniam caussas morborum scrutari prius Herophilus instituerat, vini rationem illustraverat Cleophantus apud priscos, ipse cognominari se a* (a vulg. om.) *frigida danda praeferens ut auctor est Varro, alia quoque blandimenta excogitabat, iam suspendendo lectulos, quorum iactatu aut morbos extenuaret aut somnos alliceret, iam balineas avidissima hominum cupidine instituendo, et alia multa dictu grata atque iucunda.* In quibus verbis,

quorum ea tantum quae ad inditum Asclepiadi cognomentum spectant Varronis auctoritate poni arbitramur, perineptum illud *apud priscos* esse, non est difficile demonstratu: tametsi ex eo ad aetatem adeo hominis definiendam aliquid argumentatus est Heckerus Hist. medic. I, p. 366. Nam ut taceam per se mire nec usitate *apud priscos* dici: si nihil aliud voluit Plinius nisi ante Asclepiadem et morborum caussas ab Herophilo et a Cleophanto vini rationem illustratas dicere, quid opus erat omnino post *prius* illud, iam Herophili mentioni insertum, alteram quandam temporis notationem denuo inferre? Eamque qualem tandem? Qua profecto Herophili aetati ut maior etiam Cleophantia opponatur: id quod nec in veritatem historiae nec in Plinii consilium convenire ipsum suspicor Heckerum concessurum. Nam Celsus III, 14 cum Cleophantum dicit *quendam ex antiquioribus medicis*, non aliud tempus significat nisi tale cui et Herodicus et Cleophantus tribuendi sint. Quae cum ita sint, non hercle inepte coniectatum est in latinis *apud priscos* verbis ipsum cognomen latere Asclepiadis a Plinio significatum. Id si quaerimus quale fuerit, praesto est Heckerus p. 387 ψυχρολούτης ponens, testimoniis subscriptis Plin. l. ss. et Cael. Aurelian. Acut. I, 14. Sed Caelii quidem nullus in hac caussa usus est, apud quem nihil praeter haec exstent: (Asclepiades) *vehementer utile dicit [aquam bibere] et frigida lavari, quam ψυχρολουσίαν appellant, et frigidam bibere*; in quibus verbis dubitari nequit quin insiticia sint quae cancellis sepsimus. Praeterea neglexit Heckerus de *danda* frigida h. e. ab aegrotis bibenda loqui Plinium, non de balneorum lavationumque usu. Ergo hac quidem ex parte multo sane et consideratius et felicius Cornarius in *apud priscos* (APUIPRISCOS) latere coniecit δωσίψυχρος (ΔΟΣΙΨΥΧΡΟΣ, DOSIPSICROS). In quo fortasse acquievissem, nisi consultus a me amicissimus collega idemque imprimis doctus medicus Naumannus exstare a simili caussa medico impositum cognomen apud Alexandrum Trallianum respondisset. Ab hoc enim cum XI, p. 645 ed. Guinter. quidam Ἰάκωβος ὁ ψύχριστος commemoratur, tum eius nominis ratio redditur

V, p. 249: ἐκαλεῖτο δὲ ψύχρηστος (sic), ὅτι ὑγραινούσῃ τροφῇ ἐκέχρητο e. q. s. Et Iacobus quidem ille qui potuerit satis barbare ψυχριστός dici pro ψυχριστῇ, quaerere supersedeo: in Asclepiadem a ψυχρίζειν factum cognomen percommode convenit, ut quod notione sua utrumque complectatur, et potionem et lavationem frigidam: *der Abkühler.* Vide igitur num in latinis *apud priscos* verbis vel ἀποψυχριστής vel fortasse etiam simplicius ἀποψύκτης cognomen lateat. Haec ut sit Plinianorum constructio: *quoniam . . . . vini rationem illustraverat Cleophantus*, Ἀποψύκτης *ipse* (Asclepiades) *cognominari se a frigida danda praeferens ut auctor est Varro* e. q. s.

2. Quae reliqua sunt, ad singula medicamenta pertinent commendata a Varrone. A quibus tamen exclusimus iam §. 19, 2 disceptata. Plinius igitur XX, 5, 43: *Varro, quae sale et aceto pista est arefactaque* (caepa), *vermiculis non infestari auctor est.* XX, 14, 152: *qua de caussa dignior e pulegio corona Varroni quam e rosis cubiculis nostris pronuntiata est: nam et capitis dolorem imposita dicitur levare.* XX, 20, 218: *Marcus Varro coriandro subtrito cum aceto carnem incorruptam aestate servari putat.* XXII, 24, 114: *Varro regium cognominatum morbum arquatum tradit, quoniam mulso curetur.* XXII, 25, 141: *voci eam* (fabam) *prodesse auctor est M. Varro.* XXV, 3, 24: *tradatque M. Varro Servium Clodium equitem Romanum magnitudine doloris in podagra coactum veneno crura perunxisse et postea caruisse sensu omni aeque quam dolore in ea parte corporis.* XXVIII, 2, 21: *Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliare, M. Varro podagris.* XXVIII, 5, 57: *ob hoc Varro suadet palmam alterna manu scalpere* (contra sternutamenta.) Ibid. 60: *capita autem aperiri aspectu magistratuum non venerationis caussa iussere, sed ut Varro auctor est valetudinis, quoniam firmiora consuetudine ea fierent.* XXIX, 4, 65: *cunctarer in proferendo ex his remedio, nisi M. Varronem scirem* LXXXVIII *vitae anno prodidisse aspidum ictus efficacissime sanari hausta a percussis ipsorum urina.* XXXIII, 4, 85: *auro verrucas curari M. Varro auctor est.* XXXVI,

27, 202: *ad convulsa viscera aut contusa, ut M. Varro: ipsis enim verbis eius utar: „lix cinis est, inquit, foci; inde enim cinis lixivius potus medetur, ut licet videre gladiatores, cum deluserunt, hac iuvari potione.* — His addere fortasse licebit XXXI, 2, 11: *Varro auctor est Titium quendam praetura functum marmorei signi faciem habuisse propter id vitium* (vitiligines): confidentius autem Serviana in Georg. I, 151: *nam proprie robigo est, ut Varro dicit, vitium obscenae libidinis quod ulcus vocatur.* Non minus autem confidenter a medicina segregamus non modo Plinii XXII, 25, 151, ubi vitio scripturae Varronis olim nomen legebatur, sed etiam Apicii geminam memoriam, idem nomen III, 2 et VII, 12 cum edulium (*betaceorum* et *bulborum*) conficiendorum praeceptis sociantis, et ita sociantis ut, quid Varronis, quid ipsius sit Apicii, aegre dignoscas: de quo utcunque statues, rectius profecto quam de medicina cogitabis de ea satira quae inscripta erat *περὶ ἐδεσμάτων*.

§. 22.

Postquam permensi sumus fragmentorum multitudinem promiscue proditorum, non inutiliter quaeri de tempore videtur quo haec Disciplinarum volumina Varro composuerit. Et Schneiderus quidem quod comm. de Varr. vit. et scr. p. 234 inter a. 699 et 706 scriptos dixit, sola confisus est Caelii Rufi memoria, quae quam sit dubiae fidei, §. 5 disseruimus. Primum autem tantum certum est, non esse a iuvene conditos: nam et Asclepiades ille Bithynus, de quo §. 21, 1 dictum, Pompeii aetate clarus fuit teste Plinio, et eiusdem Pompeii res Mithridatico bello h. e. ann. 689 sqq. gestas a Varrone commemoratas esse vidimus §. 19, 2. Sed gravissimum illud est, quod Varronem de aspidum ictu sanando Plinius XXIX, 4, 65 praecepisse dicit vitae anno octavo et octogesimo. Quod si recte creditur fecisse in libro medicinae, hunc consequitur ipso anno V. C. 726 esse com-

positum. Vnde intelligitur ex amplioribus quidem commentariis Varronis omnibus hos de disciplinis ultimos fuisse quibus operam navaret suam, quippe quos probabile sit octo novemve annis post libros de re rustica esse absolutos, de quibus ipsius exstat in praefatione testimonium. Hinc autem fieri coniectura potest, quam maturae et tanquam consummatae eruditionis thesauris hi potissimum libri referti fuerint.

Sero Koppianam editionem Marciani Capellae nactus vidi Varronianae doctrinae vestigia in Marciano C. F. Hermannum quoque agnovisse praef. p. XX, ipsum autem Koppium pariter ac nos §. 6, *lympharum insulas* in *nympharum* convertisse p. 722.

Praeterea permemorabile quiddam addendum est §i 12 disputationibus nostris. Forte enim fortuna in Walchii Emendationes Livianas incidens p. 172 sq. ea posita repperi, quae mihi non tempero quin ascribam. Sunt autem haec: *Insigne est* (lacunae) *exemplum Prisciani lib. I, p. 546 Putsch. „Accidit igitur litterae nomen, potestas, figura. Nomen, veluti a. b. c. Et sunt indeclinabilia elementorum nomina tam apud Graecos quam apud Latinos: sive quod a barbaris inventa dicuntur, (quod et ostendit* VARRO *in secundo de antiquitate literarum docens lingua Chaldaeorum singularum nomina literarum ad earum formas esse factas; et ex his certum fieri eos esse primos auctores litterarum:) sive quod simplicia haec et stabilia esse debent" etc. Varronis locum, quo omnes carent Prisciani editiones, addit MS. Gruterianum nunc Lugduno-Batavum, quod habuit quidem Putschius, sed quo* (*propter scripturae difficultatem*) *negligentissime usus est. Locum iam protulit Bondam. Var. Lect. II, 13. p. 296, sed adeo corrupte, ut emendatius eum posuisse minime poeniteat.* Gravissimo igitur planissimoque documento iam

utrumque confirmatur, et peculiarem operam Varronem in litterarum rationibus explicandis posuisse, et eam non uno, sed pluribus libris contentam. Vtrumque autem cum prorsus in simillima testimonia illa cadat, quibus Varronis *de origine linguae latinae libros* Apuleius, *ad Attium libros* Pompeius commemorarunt, quid quaeso ad probabilitatem propius potest accedere quam eosdem libros, quos Varro *de origine linguae latinae* inscripsisset, ab argumento ducto nomine Priscianum *de antiquitate litterarum* libros dixisse? Et cum Pompeiana memoria Prisciani testimonium Walchii quoque coniectura nectebat: tam evidens est utrobique proditorum fragmentorum propinquitas: nisi quod inconsiderate Ruhnkenio assensus de libris *ad Atticum* potius quam *ad Attium* scriptis cogitavit.

Scripsimus m. Mart. a. CIƆIƆCCCXXXXV.